



1. Rous / Joh. Reinh. / diff. de serpente se
ductore non naturali se^o solo diu^o b^olo
i^one 1712.
2. — diff. de vario Mofis in Montem Sinai
ascensu, i^one 1716.
3. — diff. de iudaea rebus gestis et
miraculis Christi c. Lara, i^one 1733.
4. — diff. de veris p^oetatoris J^oesu Christi
requisitis, i^one 1733.
5. Rurmeyer / Mich. Christ. / diff. de Aara
ne, viro sancto, tribus Levi, typo
Christi, Goyphur. 1738.
6. Bauerbreij / Joh. / diff. de Deo uno et
trino, 1648.
7. Schacheri / J. Jac. / diff. de septem Spi^ori
tibus a Joh. Theologo celebratis
Lipsiæ 1736.
8. Schelzuigg / Sam. / diff. de dono fidei
iustificantis, 1739.

9. Schelzig J. Sam. / Diff. de patris, Ma.
 Frimig. 1684
10. Schertzer J. H. Ad. / Diff. de illustrissima
 dicendi immutabilitatis Majestate Wittenb.
11. ——— / Diff. de aspectu Judaeorum in Messiam
 trans. Goffum, Wittenb. 1135.
12. Schlichter J. Christ. Ludew. / Epistola quae
 de Genes. viii. v. 21. Sententiam
 antiquam trahit, novam conjecturam
 Anonymi Kircheri, Varenij et Rambodij
 examinat, deniq. mentem suam exponit. Hal. 1722
13. Schmid J. Christiani Ernesti / Diff. de
 Lege per peritatum infirmata. Lipsid.
14. Schmid J. Joh. / Diff. in quod Religio Evan.
 gelica maxime sit utilis et salutaris,
 Lipsid. 1726.
15. ——— / Diff. de poenitentia in Genere
 Argent. 1686.
16. Schmid J. Joh. Andri. / Diff. de Catechesi
 Racovienfi. Helmst. 1729.
17. ——— / Diff. de oratione dominica. Helmst.
 1723!
18. Schmid J. Sebast. / Diff. de conjungio Mysti.
 Argentor. 1685.
19. ——— / Diff. de unctione Reip. Jesu,
 Argentor. 1670.
20. ——— / Diff. de deponatione fidelium
 cum Christo, Argent. 1679.
21. ——— / Diff. de Didrachmis a Christo
 solutis, Wittenberge, 1737
22. ——— / Diff. de sarcinulo viventium,
 Argent. 1660.

23. Schrammij / Jone Cour. / diff. de triumpho
Christi victoris, Helmsf. 1728.
24. ———— diff. de auspicijs Ecclesie
novi Testamenti, Helmsf. 1727.
25. ———— diff. de vitandis quibusdam Civi-
tatis ob viciniam illiciti, Helmsf. 1726
26. Schroeder s. Joh. Joach. / diff. de Azazelis
Hirc, epus, ritibus ac Mysterio
Muschburgi 1725.
27. Schroeder s. Georgy. / diff. de Ecclesia
errorum immuni, Wittenb. 1725.
28. ———— diff. de principe Perlarum
Gabrieli resistente, Wittenb. 1729.
29. ———— diff. de verbo papae Divino
Wittenb. 1725.
30. ———— diff. de gratia Christi veri-
tatis Naturalis causa a Quenstedio
asserata, et a Clemente XI condemnata
Wittenb. 1719.

9.17 19
ORATIO DOMINICA

HISTORICE ET DOGMATICE PROPOSITA
PRAECIPVE AVTEM
IVDAISMO OPPOSITA

2^{AM}
D. A. G.

SVB PRAESIDIO
IO. ANDREAE SCHMIDI

ABBATIS MARIAEVALLENSIS
SS. TH. D. EIVSDEMQUE ET ANTIQ. SS. P. P. O.
ORDINIS SUI SENIORIS

*PATRONI ET HOSPITIS AETATEM COLENDI
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA
RESPONDENDO EXHIBET*

AVCTOR
FR. IO. SCHRADER
WVNSTORPIO-HANNOVERANVS



HELMSTADII,
STANNO HAMMIANO. 1723.

ORATIO DOMINICA

IN TORRETTI DOMINICAE PROPOSITA

PER ANTONIUM

ADRIANUM

IO. ANDREAE SCHMIDT

ADRIANUS

ST. THEODORUS

ST. GEORGIUS

ST. IACOBUS

ST. PAVLUS

ST. PETRUS

ST. IUDAS

ST. MATTHEUS

ST. MARCUS

ST. THOMAS



FRID. IO. SCHRADERO

SS. THEOL. CVLTORI PLANE INDVSTRIO
DISSERTATIONIS HVIVS AVTORI
ET RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES,

TRia haec, orationem, meditationem, tentationemque facere theologum, tam commune est verbum, ut in omnium fere ore versetur; utinam etiam cordibus firmissime inscriptum haereret! Primum in hac sororum tria locum iure meritoque obtinet oratio, sine qua nec studium sacrum aggredi, nec in eo profectus sperare possumus felices. Orandum enim est, ut spiritus S. lumine suo gratioso ad nos accedat: orandum est, ut meditatio verbi sanctissimi feliciter succedat: orandum denique est, ut tentatio, si Deo ita visum fuerit, a nobis discedat. Sic ergo oratio omne fert punctum. Hinc etiam Christus non duntaxat ipse in orationibus fuit sedulus, sed & apostolis, horumque vestigia prementibus, utilissimum hoc medium, quavis data occasione, de meliori nota commendavit. Imo, ut hi quoque scirent, quae, qualia, & quanta, nec non quo modo petenda sint, solemmem iisdem praescripsit formulam, orationem dominicam postea dictam, quem univversus christianus orbis admiratur, veneraturque. Hanc tu, charissime SCHRADERE, magno
moli-

*molimine considerandam ea ratione sumssisti, ut praeter
ea, quae ex antiquitate sacra huc spectare videbantur, in
singularum petitionum explicatione eandem iudaismo esse
oppositam ostenderes. Post reditum quippe ex academia
Ienensi hunc laborem, hortante summe reverendo DN.
BOEHMERO, praesule Wunstorpiensi venerabili, coe-
pisti in patria bono omine & eundem in hac IVLIA, fa-
vente divini numinis gratia, proprio Marte operaque in-
defessa perfecisti. Si per alia tibi licuisset, & mihi & le-
ctoribus pergratum fuisset, sectionem quoque polemicam,
quam in limine promiseras, singulari tuo studio elabora-
tam videre. Interea argumentum hoc, cuius profunda
hucusque es miratus, sedula attentione ulterius rimare.
Perge orationem coniungere meditationi, & varia ten-
tationum tela, quae praecipue in sacrorum amantes vi-
brari solent, eo feliciter excipies. Magna haec erunt tua
in futuro ecclesiae officio praesidia, quae auditores pii pro
viribus imitari nunquam non studebunt. Faxit D. T. O.
M. ut tuus in studiis fervor, quem vitae probitas & mode-
stia comitantur, digno coronetur munere; ex quo ut ec-
clesia plurimos percipiat fructus, & maxime reverendus
DN. Pater amplissimum in senectute sentiat solatium,
devois a Deo contendo precibus. Vale & ubique cogita
illud Christi; vigilate & orate! Dabam Kal. Febr.*

A. O. R. MDCCX.



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

VT alias, testante HIERONYMO (a) *ingenia parva materias grandes non sustinent & in ipso conatu ultra vires ausa succumbunt; quantoque maius fuerit, quod dicendum, tanto magis abruitur, qui magnitudinem rei verbis non potest explicare; ita mihi præcipue hoc quoque evenit, orationem dominicam, quam Christus discipulis suis tradidit, consideraturo, haud immemori, quam curta eruditionis mihi sit suppellex, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Etenim tanta est orationis ab ipso λόγῳ compositæ dignitas, tanta argumenti gravitas, ut inter omnes precum formulas primum iure meritoque occupet ac sibi vendicet locum. Autorem si respicimus, qui perfectissimam hanc orandi formulam non discipulis eam petentibus solis, sed omnibus ac singulis discipulorum vestigia sectantibus omni omnino tempore, rebus tam prosperis quam adversis adhibendam serio præcepit; Christus est, θεὸς ὁ ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ ὁ ἐκ τοῦ πατρὸς, patri ἰσοῦσιος lux a luce genitus. Sicuti autem citra*
A dubium

(a) Ep. Consol. ad Heliodorum super mortem Nepotiani fol. 16.

dubium effecti dignitas ab autoris excellentia ac dignitate dependet; ita, quam Christus nos edocuit, oratio, prae aliis precum formulis summa perfectione gaudet. *Quae enim*, inquit, **CYPRIANVS**, (a) *potest esse magis spiritualis oratio, quam quae vere a Christo nobis data est, a quo nobis & Spiritus S. missus est? Quae vera magis apud patrem precatio, quam quae a filio, qui est veritas, de eius ore prolata est? ut aliter orare, quam docuit, non ignorantia sela sit, sed & culpa.* Quanta vero huius orationis dignitas, tanta quoque doctrinae, quam compendiose complectitur, ubertas est atque amplitudo. Quemadmodum enim evangelium totius verbi divini, canonicis scriptis comprehensi, summa est & compendium, in quo typi in antitypum, umbrae in corpora, resoluta ultro cognoscuntur; ita nostra oratio dominica totius evangelii, quinimo totius verbi divini summula exactissima & perfectissima est constituta. Vnde eleganti eam ornavit epigraphae **TER-TULLIANVS** (b) quando *breviarium totius evangelii* atque adeo verbi divini eam appellat, quo etiam sequentia eius verba tenentur: (c) *Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta prophetarum, evangeliorum, apostolorum, sermones domini, parabola, exempla, praecepta, quot simul expunguntur officia Dei, honor in patre, fides, testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitae in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelae.* Et **CYPRIANVS**, (d) *qualia autem sunt, inquit, fratres dilectissimi, orationis dominicae sacramenta, quam multa, quam magna breviter in sermone collecta, sed in virtute spiritualiter copiosa? ut nihil praetermissum sit, quod non in precibus atque in nestro coelestis doctrinae compendio comprehendatur.* In compendium autem hoc, tanta doctrinae ubertate refertur, variae omni omnino tempore doctorum extiterunt meditationes, disquisitionesque, ut eapropter condonandum meis sit conatibus, si non in omnibus eruditorum satisfecero optatis desiderisve. Nam, quod sponte con-

(a) de Or. Dom. c. I.

(b) de Or. Dom. c. I.

(c) de Or. c. IX, f. 129. 3. 7.

(d) de Or. Dom. c. V.

confiteor, diu de suscipiendo isto dubitavi negotio, nec forsitan illud suscepissem, nisi Vir (cujus consiliis ac monitis haud annuere nefas) summe reverendus, amplissimus atque excellentissimus Dominus PHIL. LVD. BÖHMER, in alma hac Iulia quondam per XI. annorum spatium professor moralium longe celeberrimus; iam vero Serenissimi Electoris Brunsvico-Luneburgensis consiliarius ecclesiasticus ac per Ducatum Calenbergicum Superintendens generalis dignissimus, nec non Capituli, quod est Wunstorpii, praesul gravissimus, patronus ad cineres usque, omni qua decet mentis devotione devenerandus, animum meum dubium firmasset. Hic pro summa, qua amplissima dudum Böhmeriana floruit familia, in clientes benevolentia, ac singulari ad studia eorum fovenda atque inflammanda propensione, meos mirifice promovit conatus, ut in literarum otio domi, cursu academico in illustri Salana absoluto, tenues huius dissertationis lineolas exarare potuerim, quas ulterius dein deduxi. Eam vero mihi proposui tractandam rationem, ut ob rerum copiam tres constituerim sectiones, quarum *prima* ea dabit, quae ex historia ecclesiastica a primis temporibus ad nostrum, quo vivimus, seculum peti poterunt; *altera* erit dogmatica, & *tertia* exhibebit controversias, quae nobis cum diversarum sectarum intercedunt hominibus.

SECTIO PRIMA HISTORICA.

§. I.

Praefixo scopo nostro si satisfacere volumus, ex historia evangelica statim in tractationis limine ea repetere debemus, quae tempus, locum, occasionem & scopum concernunt. Prius quod attinet, varie varios vexavit chronologos, nec adeo in computo sacro trita est semita, ut nonnulli quam-

vis acutissimi non offenderint syrtes fere impervestigabiles & inciderint in scyllam, quando vitare charybdim allaborarunt. Tantum adest, ut de annis Christi ministerialibus inter se consentiat chronographorum cohors, ut potius a vero plerique aberrant & alter alteri intrepide contradicat. Ante vero quam illos se invicem de annis Christi ministerialibus refutantes audiamus, indagandum erit, ad penitentiorem rei cognitionem, in quem annum incidat nativitas Christi.

§. II. Varii varias hic tuentur opiniones. Nec desunt inter ipsos patres, qui Christum fuisse natum adserunt anno mundi MMMDCCCXLVII. anno Augusti a primo consulatu eius XL. a caede Caesaris XLI. Quae patrum supputatio viguit ad tempora usque Dionysii, qui nimirum novam introduxit aeram, qua nativitatem Christi refert ad annum Iulianum XLV. Alii autem hanc Dionysii supputationem receptam, tricennio, alii biennio antevertere Christi nativitatis annum serio contendunt. Alii alium plane amant calculum, inter quos D. IVLIVS BAROLOCCIVS DE CELLENO congregation. S. Bernardi reformat. ordinis cisterciensis, & S. Sebastiani ad Catacumbas Abbas (a) Christum fuisse natum vult anno mundi MMMDCCLX. licet dein errorem, a Rabbiniis suppeditatam, per literas ad celeberrimum Lipsiensium professorem MENKENIVM publice professus sit, nec aegre tulerit, quod in actis eruditorum (b) erudite & curate satis detectus fuerit. BAROLOCCIO namque mox defuncto, D. CAROLVS IOSEPH IMBONATVS Mediolanensis Cong. S. Bernardi ord. cisterc. monachus S. T. & LL. S. P. idem ostendit in peculiari dissertatione de adventu Messiae, quam bibliothecae latino-hebraicae annexuit, praemissa chronologia, qua statuitur natalis Christi A. MMM. (c) Atque adeo emendato Bartoloccio, opiniones celebriorum chronologorum de anno mundi, quo natus sit Christus *deus ex deo* proponit

(a) Bibliotheca magna Rabbinica part. II, f. 340. (b) a. 1686. p. 595.
 (c) vid. l. c. f. 28, 29.

proponit considerandas fere centum, ex quo discrepanti-
am rabbinorum aequae ac christianorum ab anno mundi
MMMDCCLX. ad annum MMMMMDCCLXXXIV.
fese extendere patet. Ab IMBONATO non multum abest
in supputatione aerae, Illustris Baro KNOCKA ROSENROHT,
Principis Salisbacensis consiliarius Intimus, insignis philolo-
gus, permultis philologicis nec non asceticis scriptis multa
eruditione refertis, clarus. Hic nimirum in harmonia evan-
geliorum, quam HELMONTIVS, suasu ac consilio FABRICII
Heidelbergensis theologi, qui Knorrii notas castravit, sub
IACOBI VSSERII Angli, nomine cum versione Lutheri & eru-
dito D. SCHVZII praefamine Francofurti ad Moenum edi-
curavit, annum Christi natalem constituit MMMVI. (a) At-
que adeo haec fere communissima accuratiorum chronogra-
phorum sententia, quod Christus fuerit natus circa annum qua-
ter millesimum.

§. III. Sicuti autem de anno; ita quoque de mense ac
die natali mirifice fluctuant scriptores, ut hic tritum illud valeat,
quicquid horum dicatur, contra clarissimos viros dicetur. Ne-
que de mense ac die tantum natali, sed baptismali varie inter se
differunt auctores, & in supputatione de annis Christi minist-
erialibus incertis & diversis nituntur fundamentis; nec inter
se conveniunt, quot anni a baptismo usque ad ascensionem
Christi sint numerandi; & utrum inchoari debeat annus
ministerii primus a baptismo, an vero a primo paschatos festo.
CLEMENS ALEXANDRINVS (b) salvatorem putat nostrum
unicum tantum annum praedicasse; quia in scriptura legitur (c)
spiritus misit me ad proclamandum annum acceptum Iehovae. TER-
TVLLIANVS, ALEXANDRINI coaevus, (d) docet Chri-
stum passum anno TIBERII XV. cum esset annorum *ἀγοῶν*
ἑπτὰ ἑκκτὼ: Quidam ex graecis, quos EPIPHANIVS nominat

A 3

ALO-

(a) praefat. pag. 5, 6. Confer. Gerhard, Ioh. Vossius de annis I. C. Wilhelmus
Langius de anno Christi. Imbonatus. l. c. (b) I. I. Stromatum p. m. 2. 49.
(c) Ef, LXL, v. 2. (d) lib. adv. Iudaeos. cap. VIII

ΑΛΟΓΟΣ, totam historiam evangelicam unius anni spatio includunt. EPIPHANIVS ex paschatis festis designatis (a) subsumit: Christi ministerii annos duorum annorum & aliquot dierum spatio absolutos. Modernorum plerique cum Ammonio & aliis colligunt, Christum praedicasse annos tres & tot dies, quot intercesserunt a baptismo Christi usque ad primum pascha. (b) Vir magni nominis B. D. GEORGIUS CALIXTVS (c) Christum contendit ministerium suum obiisse a baptismo usque ad mortem quatuor annis. Et hoc quidem evidens fieri existimat ex quinque festis paschalibus. Eorum, inquit l. c. *primum* paucis diebus a baptismo domini actum constat Ioh. II. *secundi* mentio fit apud eundem Iohannem c. V. *tertii* Luc. VI. Vbi sabbathum δευτεροπρωτον nominat. *quarti* apud Ioh. c. VI. & denique ultimum & quintum est pascha τὸ ταυρώσιμον καὶ ἀναστάσιμον, cuius historiam accurate describunt omnes evangelistae. (d)

§. IV. Nec desunt itaque, qui non a baptismo sed primo potius paschatis festo annum Christi ministerialem inchoari contendunt: quod primum pascha ex supputatione WILH. LANGII (e) in diem XVII. Aprilis incidat, cum esset Christus triginta annorum completorum, quod demonstrat ex Luc. III. v. 23. καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡς ἐὶ τῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὃν (ὡς ἐνομίζετο) ὠδὸς ἰωσήφ τῷ Ἠλλ. Et ipse Iesus erat circiter annorum triginta incipiens &c. Vbi cum Iustino, Origenae & Euthymio vocem ἀρχόμενος ad ministerium pertinere & locutionem ellipticam esse adserit; explenda, inquit, elliptica illa oratio ita est: καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡς ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος τὴν διακονίαν, ὃν, (ὡς ἐνομίζετο) ὠδὸς ἰωσήφ, τῷ Ἠλλ.

§. V. Cum autem de anno, mense ac die, tam natali, quam baptismali, nihil certi & quod omni careat scrupulo constat, communissima tamen eo abit sententia, quod natus Christus circa annum mundi MMMM. ut supra dictum; baptizatus vero

(a) Ioh. II. v. 13. Ioh. VI. v. 4. Ioh. XVIII. 18. Epiph. haer. 51.
II. v. 13. (c) Concord. evangel. part. III. l. 6. c. 1. p. 315.
fer. Harm. Chem. (e) l. c. p. 364.

(b) Ioh.
(d) Con-

vero ac praedicaverit anno aetatis trigesimo. Perinde etiam nobis erit, sive a baptismo sive a primo paschatis festo, ministerium eius incipiamus; quia indubitato adferere licet, quod oratio dominica fuerit tradita primum anno ministerii Christi secundo (a) & dein secunda vice anno ministerii tertio. (b) Principium primi praedicationis anni si ponere placet iuxta Iohannem in festo paschatis, (c) finem vero in eodem festo, (d) res clarior fiet. In duas scilicet commode dispesci potest partes descriptio primi anni, quarum prior continet rerum historias, quae a festo paschatis in Iudaea usque ad reditum in Galilaeam acciderunt: altera versatur circa reditum ex Iudaea in Galilaeam & illa omnia, quae in Galilaea usque ad proximum festum paschatos peracta sunt. Priorem partem solus describit Iohannes: alteram Matthaeus, Marcus & Lucas, quae desinit in leproso sanato. (e) Annum primum, a primo paschatis festo inchoatum, subsequitur secundus, a secundo paschate (f) inchoandus. In hoc anni spatium incidit tam electio duodecim discipulorum, quam concio in monte & orationis dominicae promulgatio. Circa initium namque huius anni ministerii secundi in festo paschatos contigit miraculum sanationis aegroti ad piscinam Bethesdae. Ordine sequitur historia de discipulis spicas vellentibus, eamque sanatio manus aridae. (g) Narrationem de manus aridae sanatione sequitur consilium pharisaeorum de Christo occidendo. (h) Consilia namque pessima ineunt cum Herodianis; Christus autem eorum praevidens insidias, ad mare cum discipulis suis se contulit, & ne existimaretur fuga deseruisse munus ac ministerium, insignem secum ducit hominum multitudinem ex Galilaea aliisque regionibus adiacentibus, atque adeo hoc loco concionem habuit & orationem dominicam primum in monte

(a) Vid. Ioh. Clericus harm. evangel. c. VI. Matth. p. 74.

l. c. in c. XI. Luc. p. 180.

(c) Ioh. II. v. 13.

(b) Ioh. Cler.

(e) Matth. IX. v. 2 10.

(f) Ioh. V. v. 1.

(d) Ioh. V. v. 1.

Marc. II. v. 23. ad v. 7. c. III. Matth. XII. v. 1-15.

(g) Luc. VI. v. 1.

vers. 18.

(h) Ioh. V.

monte promulgavit (a) circa medium, uti admodum probabile, anni prædicationis secundi. Cum reliqua hoc anni spatio peracta scopum non attingant nostrum; pedem 'promovebimus ad tertium ministerii annum a tertio paschatis festo ad quartum usque perducendum. Hic inprimis considerandum venit iter versus Hierosolimam quod depingunt Lucas (b) & Iohannes. (c) In itinere hoc contigit emissio septuaginta discipulorum ad prædicandum in terra Israëlitarum, & paulo post sequuta (foris in Bethania) repetitio orationis dominicæ, (d) ut adeo Christus primum sponte & dein secunda vice fere post septuaginta rogatus eam tradiderit.

§. VI. Hæc, quæ hætenus deduximus, occasionem dederunt disquirendi, an oratio dominica una, an diversis vicibus fuerit tradita. (e) Prius adferere quibusdam placet: posterius huc usque creditum. Non enim insolitum servatori, ut interdum dogmata aut monita longe maximi momenti sæpius, data opera repetierit, ut altius descenderent in discipulorum animos rudes atque obliviosos. Sic sæpe vel ab initio præconii, ut liquet ex Ioan. II. v. 19. mortem ac resurrectionem suam intra triduum prædixit. Quod quam necessarium fuerit, res ipsa ostendit, cum vix ipsa prædictionis illius impletio fidem apostolis extorserit. Non mirum ergo, si hominibus repetitione usque adeo indigentibus eadem sæpius, ut italoquar, occinere necesse habuerit, cum initio surdis propemodum caneret. Igitur, quamvis similes sententiis, aut etiam verbis sermones Christi, in harmonia evangelistarum variis temporibus occurrant; non est propterea existimandum, ut multi solent, evangelistas non satis accurate facta & dicta Christi ordinasse. (f) Id quod clare patebit, si observa-

(a) Matth. VI. v. 1. seqq.

(b) cap. X. v. 51. seqq.

(c) cap. VII.

v. 10. (d) Luc. XI. v. 1-17. vid. Casp. Herm. Sandhagen

Introductio in acta Christi & Apost. ad Luc. XI. p. m. 100.

(e) vid. Matth. Poli

synopsis critica in Matth. c. VI. p. 199.

(f) Ioh. Clericus Dissert.

II. Canon. IX. p. 36. Confer, Matth. Poli synopsis critica l. c. Sandhagen. l. c. p. 83. & 100.

observaverimus aliam fuisse occasionem Christo datam, quam Matthaeus notavit, aliam, quam Lucas, sedulus circumstantiarum collector, suppeditavit. Nam apud Matthaeum acerrime Christus Dominus arguebat pharisaeos eorumque orandi formam battologicam, eique opposuit meliorem, perfectiorem, illi praefendam, ut discipuli & turba Christum sequuta porro non more pharisaico verborum uteretur ambagibus, labiis ad Deum appropinquaret, corde absente; sed ut verborum paucitate omnia omnino petenda *ut in verbis* includeret Deoque ac patri coelesti proponeret, quo verba spectant salvatoris: *Cum oratio dicite.* Apud Lucam autem discipulus, quicumque sane ille, sive ex numero LXX, sive alius fuerit, ignarus vel oblitus formulae istius, quam Dominus tradiderat in sermone in monte, Christum compellat, ut doceat etiam suos orare *καθὼς καὶ Ἰωάννης.* Annuit servator discipuli desiderii, novam orationis formulam repetens, quam iam in monte discipulis novissime electis determinaverat.

§. VII. Ex ultimo autem loco simul apparere videtur Christum eundem habuisse scopum, quem Iohannes, doctoresque Iudaeorum, ut nimirum discipulis suis certam precum formulam & publice aequae ac privatim usurpandam describeret. Etenim nec soli patriarchae ac prophetae filios suos orare laudesque Dei canere docuerunt; sed Iudaeorum quoque doctoribus usitatissimum fuit oratiuncularum formulas sibi ipsis struere, discipulisque suis tradere, quarum exempla eaque non pauca comperies in Gemara Babylonica in tractatu Berachot. (a) Illorum vestigiis Iohannes inhaerens suos quoque discipulos orare docuit, uti colligitur ex Luc. X. & XI. & uti quibusdam videtur eruditus, ad huius exemplum Christus non huic tantum discipulo, sed omnibus aliis talem formulam, hoc contextu nondum usitatam, praescribere voluit. Ex quo ulterius quis forte colligere posset, fuisse preces characteristicas, quibus discipuli

B

eius

(a) vid. Ioh. Lighfoot *Hor. Hebr. & Talmud*, in c. VI. Matth. v. 9. p. 297. Ioh. Hoonbeck *theol. pract.* l. IX. c. XVI. p. 313.

eius ab aliis tam Iohannis, quam reliquorum DD. ecclesiae iudaicae distinguerentur & pro suis solis tanquam novi doctoris coelitus demissi haberentur. Characteres enim secum portat haec formula & publici usus & privati & constantis. Etenim servator, dum hanc formulam suis tradit ac disponit, non preces ecclesiae statas ac consuetas penitus reiecit, nec privatis uti suis interdicit; sed hanc tradit omnium orationum summulam exactissimam, orationibus reliquis in signum discipulatus superaddendam, quam occasione quavis data pronunciarent & orarent, ut exinde omnes clare ac perspicue cognoscerent, eiusmodi orantes esse discipulos certi cuiusdam doctoris novi, Iesu quippe Nazareni, ut vulgo vocabat eum gens iudaica, longe alienos a pharisaeorum doctrina corrupta, ritibus ac ceremoniis, quorum orationes, quotidianae & vulgares, ordinariae & occasionales ex battologiis constabant. Hanc orandi methodum abominabilem, tanquam certissimum hypocryseos characterem, damnavit reiecitque prorsus Christus eique opposuit novam, eamque brevem orandi formulam, characteris instar veri verae doctrinae. Nam discipulus Dominum interpellans, ut doceat suos orare *καθ' ὅς καὶ Ἰωάννης*, respexisse videtur orationes Iohannensium, ut preces characteristicas, & tales simul a Christo expectasse ac impetrasse. Docuerat videlicet Iohannes suos orare, sicut magistri inter Iudaeos, formulam exhibendo characteristicam, assidue, verbatim & in terminis adhibendam. (a)

§. VIII. Vterius nunc videndum, unde Christus hanc orandi formulam desumerit, an ex scriptura sacra V. T.? an ex liturgia ebraeorum publica? an vero, ut aliis placet, ex abstrusissimo cabbalae mysterio? Posterius viris tribuitur quibusdam clarissimis, ALEXANDRO MORO nimirum, & illustri Baroni CHRISTIANO KNORRIO A ROSENROTH. Illi in notis ad Nov. Test. (b) licet illius verba, quae huc referuntur, tam ad cabbalam, quam ad liturgiam Iudaeorum publicam, sive formulas ecclesiae iudaicae statas & ordinarias respicere videantur,

(a) Confer. Lighthfoot l. c. (b) Matth. VI. v. 13 p. 316.

tur, ut patebit consideranti. Huic in praefamine ad portam coelorum, in quo a Iudaeis interrogatus: an igitur etiam in evangelio nostro reperiamus vestigia dogmatum cabbalisticorum? id aucter adfirmat probatve exemplo orationis dominicae & aliis v. g. de nuptiis primo Christi miraculo celebribus Ioh. II. v. 1. historia evangelica Matth. VIII. v. 1. seqq. hymno beatae virginis Luc. I. & pluribus similibus, quae omnia iuxta analogiam cabbalae, satis congrue applicari possunt; quamvis id nat' ἀντιστοιχίωv saltem fieret. Et hoc demum seculo alia tamen methodo, quam Knorrius cabbalae vestigia in oratione dominica manifestavit, vir summe reverendus IO. FRANCISCVS BYDDEVS, theologus Ienensis celeberrimus, ad cuius pedes per aliquot annos sedisse mihi valde gratulor. Hic namque novissime controversiae ansam, praeter omnem forte spem atque animi intentionem, eo, quo haec talia scripserat, tempore praebuit. Paucis rem omnem ex scriptis, huc usque ex utraque parte editis, absque omni partium studio, more historicorum, referam. Etenim iam iam laudatus vir observat. Halent. (a) huac in modum fatur: *summa doctrinae Christi & Iohannis fuit, oeconomia regni coelorum per Christum erigendi. Eadem fuit summa doctrinae cabbalisticae, quippe quae unice tendebat ad מלכות, unice eo erat comparata, ut oeconomiam regnorum divinatorum, praecipue Messiae exhiberet. Iisdem ergo verbis cum summam doctrinae suae exprimat servator, quibus cabbalisticae, quis dubitet, eum hoc ipso cabbalismi istam dogmaticam veterum ebraeorum suo approbasse circulo? Sed hoc forte nemini adhuc observatum est, in ipsa oratione dominica doctrinam sephirothicam, velut in compendio exhiberi. Quod ita demonstro. Potest oratio dominica in duas dividi partes, quarum prima Deum, ad quem preces fundimus, & oeconomiam regni divini, altera hominum miseriam & calamitatem praecipue respicit. In priori petere iubemur: Sanctificetur nomen tuum. Nomen scilicet יהוה, quod iuxta cabbalistarum doctrinam tres personas trinitatis denotat. Namque Deo patri quin hoc nomen conveniat, nullum est dubium. De filio saeculer hoc cabbalisticae, dum inter cognomina תְּרֵם חַסְדָּה referunt Iod Tetragrammati. De*

B 2

Spiritus

(a) Tom. I. observ. I. §. XII. & XIII.

Spiritus S. itidem, dum inter cognomina *טו בינה* referunt *he secundum* Tetragrammati. Ergo hic statim exhibentur tres priores sephiroth. Cum his in secunda petitione coniunguntur regnum: adveniat regnum tuum, ut scopus & finis totius theologiae cabbalisticæ, sapientissima oeconomia regnorum divinatorum, indicetur. Medium autem administrandi regna ista divina consistit in exercitio divinatorum attributorum, quæ hic consuetim per voluntatem divinam exprimentur: fiat voluntas tua. In sequentibus ad conditionem eorum, qui in regno ecclesiæ vivunt, respicitur. In clausula autem denno regni iniicitur mentio, idque in solidum Deo vindicatur, tuum est regnum. Hinc præcipua attributa divina subiunguntur: & potentia *גבורה*, quæ est sephira quinta, & gloria *הדר* quæ est sephira octava, ad potentiam autem referri commode potest etiam *הדרה* s. magnitudo, quæ est sephira quarta, uti ad gloriam *תפארת* decus sive pulchritudo, quæ est sephira sexta: additur denique in sempiternum, quorsum reliquæ duæ sephiroth *נצח* & *יסוד* victoria & æternitas, commode referri possunt. Verum hæc observata paulo post fuere notata. Primus edidit notulas Vitembergæ vir clariss. PAVLVS BERGER, tum ampliss. phil. ord. assessor in dissertatione philologica de cabbalismo iudaico-christiano a. MDCCVI. prid. Kal. Octobris. Qua in prolixè de cabbala differit & tam naturam eius, quam species indagare annititur, atque adeo eam dispeccit in hermeneuticam, dogmaticam, & magicam. In limine statim tractationis §. VI. p. 10. haud diffidetur Autor: Non exiguam in hac rerum caligine se obicere difficultatem, dubiumque esse, num vel iudeorum, vel chaldaeorum, vel ægyptiorum, vel denique græcorum scholis exclusa, postea ad christianos sit traducta? Dein §. VII. ad Ienensem descendit theologum supra laudatum & de eo sequentem in modum differit. (a) *Multus in eo est autor observ. I. Halensis, ut antiquitatem huius doctrinæ (cabbalisticæ) ex s. literis & quidem scriptis N. T. demonstret. In primis autem provocat ad orationem dominicam, in qua doctrinam sephirothicam velut in compendio exhiberi arbitrat; cumque hoc ipso sibi mirifice blanditur, quod a nemine hæcenus illud fuerit*

(a) c. 3 §. 111. p. 66, 67, 78.

fuerit observatum. Recenset dein D. BVDDEI verba, antea a nobis adducta, & ita pergit: Egregia interpretatio & collectio, cuius cohaerentiam vel leviter docti eludant. Quae enim consequentia; per sanctificationem nominis intelligitur sanctificatio nominis Iehovah; E, per nomen illud tres priores sephiroth, cether, chochmah, & binah indignantur. Item cabbalistae recentiores exponunt nomen יהוה de tribus personis. E, veterum cabbalistarum eadem sententia fuit. Item, cabbalistae Iudaei iod Tetragrammati referunt inter cognomina יְהוָה & he secundum Tetragrammati ad יהוה. E, eo ipso Trinitatem insinuare voluerunt. In secundam petitionem has profert animadversiones: Quis vero scopus ille theologiae cabbalisticae, an regnum chiliasiticum? quod cabbalistae cum omnibus fanaticis intendunt. Loquere, ut te intelligam. Haec enim per regnum Dei cum primis regnum gratiae intelleximus, quo nobis dona Spiritus S. offeruntur & donantur; docente B. CHEMNITIO in Harm. evang. c. Ll. p. 479. ad petitionem tertiam haec habet: Habes VI. reliquas sephiroth, per voluntatem divinam significatas, saltem ut numerus denarius compleatur. Vt enim cabbalisticum inventum sibi constet, nulla religio prohibet, torquere scripturam & pervertere orationem dominicam. Ad clausulam quod attinet etiam habet, quae addat CL. BERGER, quando pergit: Cui vero vindicandum regnum Dei, nisi in solidum Deo? an hoc nunc demum observatum fuit in observationibus Halensibus? sed se non minus, ac alios fallit auctor. Nostra haec simplicitas fuit haecenus, ut orationem dominicam crederemus *θεωτικόν* & ex suo patris a Christo allatam. Nunc vero ex fonte cabbalistico haustam fuisse edocemur, parum ut absit, quin optimus servator plagii cuiusdam cabbalistici insimulari debeat.

§. IX. Hunc postea excepit vir summe reverend. GOTTLIEB WERNSDORF SS. Theol. D. & Prof. P. celeberrimus in vindiciis orationis dominicae a. MDCCVIII. d. XXX. Aug. Vitembergae promulgatis. In iis iste repetit (a) D. BVDDEI observationes supra memoratas & §. V. p. 8. 9. laudati viri disquis. de moderam. inculp. tutelae tangit, distinctionemque Cabbalae in puram & impuram examinat, atque adeo veterum

(a) §. I. p. 8.

ideas, WALTHERI quippe GLASSII, CARPZOVII, PFLEIFFERI brevibus exponit, ac dein §. VI. VII. VIII. IX. X. cum illis D. BVDDEI hypothesin comparat, demumque §. XI. XII. XIII. nolens volens de observatoris opinione iudicium dicit, eandem a) non esse nostram, vel ulli nostratum theologorum probatam, sed potius b) mere iudaicam c) papisticae analogam & d) in verbum Dei scriptum, eiusque Deoavesiay iniuriam.

§. X. Verum enim vero nec soli Vitenbergenfes, sed quoque Berolinenfis philos. prof. IOH. GEORG. WACHTER observationes saepius citatas pupugit in elucidario suo cabbalístico, Romae, ut audit, edito MDCCVI. *Hos*, inquit, (a) inter sine dubio audacissimus est non nemo inquitus Tom. I. *Obs. sel. Obs. I. n. II.* quod per illa nomina (puta *Kether*, *Binah*, *Chochmah*, id est, coronae, sapientiae & prudentiae, quae in suprema tabulae sephirothicae parte sunt conspicua) tres personae, ut nostro stylo vocantur, (quasi non etiam ebraeorum stylo ita vocentur) Trinitatis indigentur; ex ipsa cabbalistarum explicatione tam manifestum est, ut coecum plane & rudem esse oporteat, qui hoc agnoscere nolit. Eandem sententiam amplectitur vir doctus: in *Introduct.* cap. 40. pag. 277. sed sine contumelia dissentientium, & ea cum moderatione, ut mox ib. pag. 281. videatur haesitare. Putat enim hanc expositionem saluberrimis sanctissimisque meditationibus praebere occasionem, dubitari tamen posse, an ebraeorum menti conformis sit. Sed mox haesitationi suae ipse responsurus: Sed sufficit, quod res ipsa eleganter in christianam religionem quadret. Ego vero existimo nihil his inventis dici posse a cabbala alienius, nihil ad christianismum applicari infelicius aut miserabilius. Plura & omnes WACHTERI de cabbala opiniones ac in D. BVDDEVM animadversiones hic repetere nostri non est instituti, ne nimis proxi cuidam simus molesti.

§. XI. Iam audiatur & altera pars, celeberrimus Ienenfis theologus, in disquisitione theologica de moderamine inculpatae tutelae tenae MDCCVIII. edita. Hic nimirum §. IX. pag. 28. aperte fatetur, semel se velle suam demonstrare innocentiam, ut deinde

eo

(a) c. 3. §. IX, p. 33. 34.

eorum quiescere liceat. Stat promissis §. seq. X. p. 30. 31. 32. Vbi
 summam suae introductionis, in quantum ad cabbalam spectet,
 certis thesibus comprehendit, & tum eundo per singulas, probat,
 nihil se docuisse, unde iure erroris, multo minus fanaticismi re-
 dargui queat. *Summa autem, inquit, huc redit: (I) Habuerunt*
etiam Iudaei veteres ante Christum natum quandam divinorum humana-
rumque rerum scientiam, quam quod a maioribus suis ad se propagatam
putarent, & ipsi orali traditione eam propagarent, cabbalam dicere moris est:
nos philosophiam, sumpta voce paulo latius, vocamus. (II) In ea Iudaeor-
um doctrina, etsi iam tempore Christi & apostolorum admodum corrupta,
haud dubio vestigia quaedam veritatis deprehendebantur, ad verbi tamen
divini regulam, seu veritatis normam unicam, exigenda, & examinanda.
(III) Fieri potuit, ut ad certas iudaeorum philosophorum hypotheses,
aut loquendi formulas, in quantum istae veritati coelesti non repugnabant,
subinde scriptores sacri novi testamenti alluderent. (IV) Multis autem
erroribus, vanisque & inanibus commentis, cum eo tempore refera esset
haec Iudaeorum doctrina, mirandum non est, quod iam in primitiva ec-
clesia, variis haeresibus occasionem dederit, uti Gnosticorum, speciatim
autem Valentianorum. (V) Sequenti aetate, praeter rabudicam,
etiam cabbalistica doctrina apud Iudaeos recentia, & scriptis etiam utra-
que ne periret, propagata fuit, sed ea ratione, ut & erroribus & commentis
nugisque subtilissimis aueretur, & tenebris plus quam cimmeriis in-
volueretur. (VI) Quantumvis autem corrupta & depravata sit
cabbala recentior, nihil tamen obstat, quo minus & in ea inter plurimos
errores subtilitatesque vanissimas, quaedam veritatis vestigia deprehen-
damus. (VII) Nec nefas esse puto, quaedam illorum asserta in
mitiorem, in quantum leges hermeneuticae permittunt, interpretari,
sensum. (VIII) Quod si apud cabbalistas vestigia quaedam veritatis
inveniuntur, licet omnino iisdem ad confirmandam veritatem evangeli-
cam, contra impietatem & perveraciam Iudaeorum, uti. Has octo
 dein theses virorum WALTHERI, GLASSII, CARPZOVII, PFEIF-
 FERI, BAIERI, aliorumque celeberrimorum Θεολογῶν iudiciis
 ac testimoniis firmare & contra adversarios defendere plu-
 ribus est annexus vir plus vice simplici laudatus & inprimis
 tusus

fufius contra WACHTERVM diflerit p. 68. 69. 72. feqq. Vtrum praeter ifta ipfemet celeberrimus D. BVDDEVS & alia adverfariis fuis publicis fcriptis oppofuerit, nobis non fatis conftat. Alium vero anonymum eius in fe fufcepiffe partes, & vindicias D. WERNSDOREFFI peculiari pupugiffe tractatu, (a) in aprico eft: quo dein novam fcribendi anfam fuppeditavit viro iam laudato. Hic namque haud pridem ipfemet promulgavit libellum, (b) quo in vindicias ante editas defendit, nec fententiam femel dictam mutaturum, neque porro hac in re aliquid dicturum, excepta peculiari de cabbala difsertatione, fed rixis tandem finem impofiturum effe palam profitetur.

§. XII. Haec prout ab utraque parte huc ufque fuere agitata, fideliter, ut puto, recensui, non advocati, fed hiftorici munus fufiinendo. Cum autem ifta nuperrime excitata in ipfa Domini vinea controverfia varie exercuerit ingenua, ex re mea effe cogitavi, fi paulo penitius investigarem ea, quae ab aliis in arduo hoc admodum negotio vere dicta vel minus. Ne vero temere nimis ac minus circumfpecte in re feria egiffie viderer, nec a fcopo in re Iudaeos inter & chriftianos abftufa longe aberrarem, meum communicavi propofitum cum magni nominis in hac Italia philologo, HERMANNO von der Harde/ hiftoriae myfteriorumque gentis iudaicae indagatore feliciffimo. Nec poffum non publice fateri, fingulari me plane ab ipfo fuiffe exceptum humanitate, & maiora eius in me, quamvis immerentem effe merita, quam ut digne hoc loco a me poffint depraedicari. Datanamque mihi de re aliqua dubitandi ab ipfo fumme venerabili viro fe fingulis diei horis adveni facultate, me nunquam non folum a latere & e confpectu minus inftitutum abire paffus, fed, quae mirifica eius in me benevolentia

(a) Sub tit. ausführliche Abfertigung der unbefugten Befchuldigung.
 (b) Gründlicher Erweis, daß tit. Herr D. Io. Franc. Buddens. Theol. Prof. publ. zu Jena, in feiner fo genannten Abfertigung der unbefugten Befchuldigungen, den von ihm wegen der cabbalae entftandenen Verdacht nicht abgelehnet &c.

entia gravissimis districtus negotiis, crebris saepius literis meis respondit desideris, atque adeo hoc in negotio perquam obscuro faculam accendit dilucidam, cuius radiis illuminatus, eas nunc audeo adire ac illustrare abyssos, quas nec Iudaeorum doctissimi pervidere sustinuerunt, ipsismet palam profitentibus. Nefas quondam in ipso Iudaeorum sinu, vel verbulum quidem ea de re tradi, nisi paucissimis & provecta quidem aetate; *Res istae*, inquit, Maimonides (a) *sunt ex arcana legis. Nosti autem quod graviter culparint rabbini nostri eum, qui illa revelaret &c.* Quo de arcano servando nec propalando definitum in Talmude Masechet chagiga. Quam Iudaeorum disputationem, de primis etiam cabbalae principiis nisi magna cum circumspectione exponendis ex laudato Talmudis opere nuperrime excerptis HENRICVS HOTTINGERVS Iunior. (b) *Dixit R. Ammi, non tradunt arcana legis, nisi illi, in quo haec quinque requisita reperiuntur: ut sit Dux quinquaginta virorum, aestimatus, consiliarius, sapiens, ut ceteri eo loquente stent, & intelligens mustitantem.* Maimonides ipse l. c. at quanti inter Iudaeos nominis! ingenue professus, *se nihil a maioribus accipere potuisse de cabbalae sensu.* Par ratio ceterorum Iudaeorum. Quod si nec Iudaeorum primis in has tenebras inspicere datum, quid fiet de christianis? horum illa dere merae & leves habentur coniecturae, ob styli cabbalistici obscuritatem. Nos non praetereunt, quae REVCHLINVS, RICCIUS, HENRICVS MORVS, KNORR ab ROSENROTH edidere; verum tenuissimae sunt lineae nec ad veritatem investigandam accommodatae. Negotium itaque perquam arduum & difficile, hac potissimum aetate, qua cabbalae iudaeorum facies plane nova, unde non temere iudicandum de rebus veterum abstrusis, nec damnanda non intellecta. Cautè profecto hic mercandum, cum doctrina haec abyssus sit imperscrutabilis, iudice philologorum principe IOH. BVXTORFIO; (c) *cabbalistica haec doctrina,*
C inquit,

(a) More Neuchim part. III. praef. p. 230. (b) in discursu Gematico de incellu creationis & cursus opere ex codice 72727 cap. II. Mith. I. pretus p. m. 40. (c) in libro Costi part. IV. p. 318.

inquit, abyssus est imperferuabilis, labyrinthus inextricabilis, nec introitum ostendens nec exitum. Eandem in symbolo cabbalistico animadvertit obscuritatem & intelligendi difficultatem Mons. BASNAGE (a) Si on demande, a quoi tendent tous ces mysteres, il faut avouer, qu' il est tres difficile de les decouvrir, parce que toutes les expressions allegoriques etant susceptibles de plusieurs sens & faisant naître des idees tres differentes, on ne peu se fixer, qu' apres beaucoup de travail & de peine; & qui veut prendre cette peine, s' il ne croit en tirer de grands usages?

§. XIII. Quid inde mirum, quod tam diversa promouerit haec doctrina iudicia, ut quivis genio indulgeat suo, & alter elevet mysterium, alter reprobet, omnes fere demirentur. Quod ante nos perbene observavit Mons. BASNAGE (b) Mais on est surpris, lorsqu' on voit sortir de l' oraison dominicale un Systeme entier de cabbale. C' est la faute du vulgaire, & des Theologiens paresseux, si on perd ces grands & belles lumieres. On se repose sur une connoissance commune, au lieu de quitter tout, & de vendre cette perle de grand prix. Les impies seroient aisement convertis, si on se seroit contre eux de la cabbale, pour leur decouvrir les perfections de la divinite, qui les convaincroient de son existence. Ils ont l' art de la mepriser, & de la faire mepriser aux autres, parce qu' ils en redoutent les effets. Les chretiens seroient ravis en admiration, s' ils decouvroient tous les mysteres que chaque mot & chaque lettre de l' oraison dominicale renferme. Non seulement ils y verroient les sept periodes de l' Eglise, son sort, & ses revolutions pendant ces periodes, comme on parle; mais ils trouveroient toutes les splendeurs ou sephiroths dans cette meme oraison, qu' ils recitent tous les iours sans comprendre les sens & les merveilles. En effet ces deux premieres mots notre pere ne renferment ils pas les trois premieres splendeurs! c' est a dire la couronne, la sagesse, & la prudence! on s' eleveroit par ce moien a la contemplation des perfections divines; & de la divinite même, qui charme, & qui enchante tous ceux qui s' en aprochent. C' est ainsi que raisonnent les cabbalistes chretiens, dont nous parlerons dans la suite.

§. XIV.

(a) Histoire des Juifs liv. III. chap. X. §. VI. p. 777.

(b) l. c. liv. III

chap. XII. §. X. p. 805.

§. XIV. Quenam autem mihi sit mysterii cabbalistici decem sephiroth hoc seculo decantati, & in O. D. nuperrime quaesiti idea, momenta dabunt sequentia: (1) Historia conditi a Iudaeis symboli. (2) Fundamentum morale: boni cuiusque regiminis idea. (3.) Divini regiminis exemplar. (4) Boni regiminis Israëlitiçi effigies. (5) Praefulgidi regni Messiae imago. (6) Adversariorum regni Israëlitiçi & Messiae conspectus. (7) Evangelistarum & Apostolorum de regno Christi stylus.

I. HISTORIA CONDITI A IUDAEIS SYMBOLI.

A captivitate Babylonica, Iudaei, vel ambitione vel desperatione compulsi, vicinarum gentium, graecarum prae ceteris aemuli, qui iugum Alexandri ferrent, *disciplinas quoque graecas trecentis ante natum Christum annis Hierosolymis publice tradiderunt*, (a) graeca etiam adscita dialecto. (b) Postquam ergo, Romanis iam imperantibus, sub tyranno Antiocho Epiphane, CLXX. pene ante Christum annis, inter infandas turbas, iudaeorum res sacra & civilis penitus quassata & convulsa, Hierosolyma deleta (c) religio graeca omnibus est imperata, (d) iudaica contaminata & extirpata. (e) Quae saevitia non solum Hierosolymis, sed & in vicinis graecis urbibus, in iudaeos exercita. (f) Vnde *grandis inter iudaeos apostasia*, qui, legibus divinis desertis, *graeca sacra amplecterentur*, aut amplecti cogentur, idolis obrutis, (g) templo foede contaminato, epulas inter & meretricum consuetudines. (h) Iovis Olympii simulacrum abominabile altari impositum, arae in omnibus iudaeae urbibus exstructae,

C 2

structae,

- (a) 1. Macc. 1. 12-15. (b) Conf. 2. Macc. IV. 12. 13. Ioseph. Antiq. Iud. 1. XII. c. 6. (c) 1. Macc. I. 31. 34. 2. M. V. 25. 26. Ios. l. c. cap. 7. (d) 1. Macc. I. 43-52. (e) 1. Macc. I. 46-51. 2. Macc. VI. 6. (f) 2. M. IV. 45. c. VI. v. 8. 9. (g) 1. M. I. 4. 1. c. II. 18. 2. M. VI. 7. (h) 2. M. VI. 4. 5.

fructuæ, suffitus promiscue in villis & plateis factus. (a) Volumina legis scissa & cremata. (b) Atque ita idolis in sancto quondam templo palam immolatum. (c) Circumciso nunc tam severe interdicta & ulia, ut duæ aliquando feminae ex filiorum circumfissione delatae, cum filiis ab uberibus pendentibus de muro præcipitarentur, circumfissionis autoribus & suavoribus caesis. (d) Coacti mox cibus immundis ori ingestis, præfente Antiocho & inspectante, iudaicam religionem abiurare, teste Iosepho libro de Maccabæis. Quo facto cordati & constantes aliqui iudæi lubentes occubuerunt. (e) Inter quos Eleazarus nonagenarius; (f) septem fratres Maccabæi cum matre. Interea Mathatiae, Chasmonæi, *χασμωναιοι*, magnatis aut primatis vel principis nomine inclyti, heroica virtus eluxit, qui tantum absuit, ut minis ad apostasiam compelli posset, ut animo potius sumto, aram idololatricam Modinensem, ubi degebat, palam dirueret, iudæo prius, quem idolis sacra facere conspexerat, ad eandem aram sua manu iugulato, Antiochi quoque ministro, ad cultum adigente profanum, pari zelo caeso. (g) Ex quo arma apprehendit, bello gentem iudaicam contra tyrannidem Antiochi tueri ausus. Quod in principio infelicer quidem cessit, cum Antiochus immanius in iudæos grassaretur. (h) Chasidæi tamen, Mathatianæ familiae mox iuncti, restaurare rem collapsam conati, quippe qui aras profanas diruerent ac pueros circumciderent. (i) *Indas Maccabæus* filius, exercitu ex iudæis superstitibus nec dum apostatis collecto, de templo & urbe deletis ac profanatis restituendis consilia capere, (k) absente Daphnis in Syria pro lusu Antiocho oppida occupare (l) fortiterque se gerere, fufis etiam hostibus. (m)

Cum.

(a) 1. Macc. I. 57. 58. (b) 1. M. I. 59. 60. (c) 1. M. I. 62. Ios. I. XII. c. 7. (d) 1. M. I. 64. 2. M. VI. 10. (e) 1. M. I. 65. 66. (f) Ios. I. c. 2. M. VI. 18. seqq. c. XIV. 37. 38. & 2. M. VII. & apud Ios. I. c. (g) 1. M. II. 16. 28. Ios. I. XII. c. 8. (h) 2. M. V. 22. 1. M. II. 29. 38. VI. 11. Ios. I. XII. c. 8. (i) 1. M. II. v. 42. 48. (k) 2. M. VIII. 1. 4. (l) 1. M. III. 8. 9. 2. M. VIII. 6. 7. (m) 1. M. III. 10. 24. Ios. I. XII. c. 10.

*Cumque Antiochi Duces iudaeos penitus extinctum irent, Hierosolymam versus castra movere, Deum in Mizpa exorare. mox hostes sternere, (a) magna præda facta & sabbatho celebrato, (b) novis hostibus gloriosius fufis. (c) Hierosolyma recuperata cum templo, aras per forum & vicos prostitutas prostravit, (d) sanctuarium mundavit, foeda & horrida gentium sacra cum love olympio sustulit, novam aram excitavit, atria purgavit, suppellectilem sacram restituit, & sacra tandem legitime iterum fecit, igne ex attritis lapidibus revocato. (e) Quae nova templi dedicatio perquam celebris extitit, octo diebus continuata, ad festi tabernaculorum pompam. (f) Quod evenit CLXIX. ante Christum annis, lege posteris pro servanda aeterna illius rei memoria, severe iniuncta, tempore salvatoris (g) *Encaeniorem* nomine commemorata, luminumque festivitate adhuc a iudaeis clara. (h) Quae nova molimina novam vicinorum pararunt invidiam, (i) Antiocho furenti moverunt bilem; sed & concitarunt mortem, qui vivus vermibus exesus e curru, in Iudæam ex Persia properante, decedit, foetens, tabe consumtus, postquam ante obitum coram amicis deploraverat, quod infantes iudaeos tam insolenter ac inhumaniter cruciasset, cuius iustam daret poenam: Pollicitus iudaeis per literas gratiam, omniumque sacrorum restitutionem, filio Antiocho Eupatore, successore regni, illis commendato. (k) *Antiocho Eupatore*, novem annorum puero, rege, quando cum reliquis hostibus & Idumaei bello Iudaeos impugnarunt (l) *Iudas Maccabaeus* hos fudit, (m) non oblitus pristinae iniuriae sub exilium ex Aegypto ab illis acceptae. Pari successu & ceteri hostes ordine profligati, Lysias inprimis, qui Hierosolymam graecorum sedem*

C 3

facere,

- (a) 1. Macc. IV. 5. 6. c. VIII. 15. 2. M. VIII. 24. (b) 2. M. VIII. 25. 26. 27. (c) 1. M. IV. 28. seqq. (d) 1. M. IV. 36. seqq. 2. M. X. 1. 2. (e) 1. Macc. IV. 42. seqq. 2. Macc. X. 3. Iof. I. XII. c. II. (f) 1. M. IV. 54. 58. 2. M. X. 4. 6. (g) Ioh. X. 22. (h) 2. M. XVIII. 18. Iof. I. XII. c. 11. (i) 1. M. V. 1. 2. (k) 1. M. VI. 12. 13. 2. M. IX. 11. seqq. (l) 2. M. X. 14. 15. (m) 1. M. V. 3. 4. 5. 2. M. X. 16. seqq.

facere, templum veſtigali onerare & ſacerdotium venale red-
dere conſtituerat, (a) cuius probri eum poſt cladem poenituit,
pace oblata. Hanc a Iuda Maccabaeo admiſſam cum ſtatim
rupiſſet Eupator, *bellum cum Gorgia quoque Idumaeo continua-
rum*, Iudaeis ſuperioribus. (b) *Eupator Iudaeis inſenſor*, &
diriora illis minatus quam parens peregerat, ingentem exerci-
tum contra illos coëgit, Menelao pontifice turpiter ad eum
deficiente, ſpe pontificatus firmandi, (c) Hieroſolymam pro-
fectus, montem Zion & ſanctuarium oppugnare aggreſſus, ſal-
vam tandem Iudaeis rem reliquit. (d) Ab hoc tempore
Chasmonaeorum haecce familia principatum apud Iudaeos
renuit annis CXXXV. uſque ad Herodis Idumaei Iudaeis fatale
regnum, annis circiter XXXVII. ante Chriſtum natum. Ne-
que vero quies interea Iudae Maccabaeo & ſucceſſoribus,
Demetrio novo rege, a quo ſubinde laceſſiti per Nicanorem
maxime; (e) plerumque tamen victores facti. (f) Donec
breui poſt Iudaei per legatos cum Romanis amicitiae & ſocietatis
inierunt foedus, excuſſo Demetrii iugo, parta libertate, (g)
ducibus Chasmonaeis; nec quietis tamen. Hoc aevo cum
graeca ſtudia Iudaeis eſſent familiaria anno CXLIX. ante Chriſti
nativitatem, *Ariſtobulus Iudaeus, peripateticus philoſophus*, com-
mentarios in Moſen ſcripſit graecos, hero ſuo Ptolomaeo
Philometori, Aegypti regi, dicatos, cuius fragmenta apud Cle-
mentem Alexandrinum & Eufebium ſuperſunt. Repetivit &
confirmavit cum Romanis foedus Ionathan, Iudaeorum dux, ali-
quo ſimul annis ſummus pontifex anno CXLIV. ante Chriſtum.
Vrbem inſtauravit, aliaque loca munivit. Aſt brevi poſt per
inſidias a Tryphone captus & dein obruncatus. (h) *Simon Iu-
daeorum dux* & S. Pontifex, Ionathanis & Iudae frater, cum
Roma

(a) 2. Macc. XI. 1-12. (b) 2. M. XII. 33. 1. M. V. 65. ſeqq. (c) 2. M.
XIII. 1. 2. (d) 1. M. VI. 57. ſeqq. 2. M. XIII. 23. (e) 1. M. VII. 5. ſeqq.
c. XII. 19. (f) 1. M. VII. 39. ſeqq. 2. M. XV. 1. ſeqq. Iof. I. XII. c. 17.
1. M. IX. 23. ſeqq. (g) 1. M. VIII. 10. ſeqq. Iof. I. XII. c. 17. (h) 1. M.
XII. 39.

Romanis foedere priori roborato, (a) urbes Iudaeae munire, omneque gentium iugum excutere. (b) A qua quidem aetate scribere placuit, anno primo SIMONE pontifice magno, stratego ac duce Iudaeorum. Idem & arcem Zion expugnatam ab idololorum sordibus perpurgavit, solenni cum pompa ingressus regiam hanc & templi montem muniens. (c) Ex quo a tota gente Iudaica ipse cum posteris suis sapremum dominium solenni decreto una cum summo pontificatu obtinuit. (d) Quod CXL. ante Christum annis obtigit. Foedus quoque cum Romanis solenniter renovavit, impetratis ad vicinos reges interdictis, ne ullo modo Iudaeis essent graves: Per generi sui insidias cum filiis duobus postremo interfectus. Iohannes Hyrcanus, Simonis filius, superstes, cum sui quoque caedem eluisset, pontifex & patris in regimine successor constitutus, (e) intra Hierosolymorum moenia ab Antiocho Sidete mox obsessus, arma tandem sua tradere coactus, muris urbis destructis & obsidibus datis; (f) Qui sepulchrum Davidis, locupletissimo refertum thesauro, pro alendis auxiliis peregrinis aperuit. (g) Id vero animadvertendum sedulo, hunc Ioh. Hyrcanum urbes Idumaeae occupasse, populo Idumaeo subingato, circumcissione illis imperata, si suis frui sedibus vellent. Qui omnes ex Iudaeorum moribus vivere compulsi. (h) A quo tempore Idumaei alienigenae, iudaismum amplexi, Iudaeorum genti sunt annumerati, profelytorum ordine atque lege. Quod ob Antipatrum & Herodem filium Idumaeos origine, maiorum more circumcisos, profelytos, Iudaeorum dein gubernatores ac reges, crudeles, regni que tyrannos, observatu necessarium. Nihil namque Iudaeis intolerabilius, quam principes & reges ferre, qui non sint ex Davidis domo prognati. Quo de infra. Foedus quoque huic Hyrcano cum Romanis firmari contigit, recuperatis, quae Antiochus

(a) 1. Macc. XIV. 16. (b) 1. M. XIII. 35. seqq. Ios. I. XIII. c. 11. (c) 1. M. XIII. 49. & XIV. 7. seqq. (d) 1. M. XIV. (e) 1. M. XVI. 16. seqq. (f) Ios. I. XIII. c. 16. (g) Ios. I. c. lib. XVI. c. 11. init. & de Bell. Iud. I. 4. c. 2. (h) Ios. I. XIII. c. 17. I. XV. c. 11. de Bell. Iud. I. 4.

tiochus Sideres, eripuerat. (a) Hoc defuncto, qui XXIX. annis S. Pontifex floruerat, ducis & prophetae nomine inter suos clarus, filius *Aristobulus* successor, dux & pontifex, *primus Regis characterem prae se tulit*, Antigono fratre in regni societatem allesto, (b) *Iuram belli fortuna Iudaeae iunxit*, incolis similiter circumcisis, & Iudaeorum mores servare coactis. (c) Quorum uterque cum brevi periisset, alter frater *Alexander* Iannaeus rex constitutus CVI. annis ante Christum, LXX. prope annis ante Herodis in Iudaeos ferale regnum, (d) multis victoriis excellens, regni finibus auctis. Cuius uxor *Alexandra* ab illius obitu per IX. annos regnum administravit, summo sacerdote Hyrcano filio, *Cicerone Romae florente*. Quae cum ex vivis excessisset, Hyrcanus ille II. triennio ferme regno potitus, (e) illo sede moto, *Aristobulus* frater, isto privatim vivente, rex & pontifex eminuit. (f) In hisce admodum turbulentis Iudaeorum fatis ex *Babylonia Hierosolymam venit Hillel* (g) LXX. & aliquot annis ante Christum, quem natum vidit senex decrepitus, centenario longe maior, cui *traditionum iudaicarum compages & celebratae cabbalae anima debetur*, ut dicitur infra. Atque hoc eorum statu *Antipater*, *Antipae Idumaeae ducis filius*, *Herodis Iudaeae dein regis pater*, civile bellum in Iudaeam parans, Hyrcanum contra *Aristobulum* excitare, (h) donec illum callide in fugam pertraheret, *Hierosolyma relicta*. Quo tandem Arabum auxilio rediit, *Aristobulo* in templo cum sacerdotibus paschatis tempore obfesso. (i) Quae civiles discordiae viam sensim pararunt ad infelicem postremo *Hierosolymae traditionem in manus Edomaei Herodis*, de quo suo loco. Pompeius namque cum *Damascum* venisset, *Hyrcanum & Aristobulum*

(a) Ioseph. l. XIII. c. 17. (b) Ios. l. XIII. c. 19. & l. XX. c. 4. de Bell. Iud. l. l. c. 3. (c) Ios. l. XIII. c. 19. (d) Ios. l. XIII. c. 20. (e) Ios. l. XIV. c. 1. (f) Ios. l. XIV. c. 1. (g) de Hillele vid. Harm. Iacobi Visserii, sive Knorr ab Rosenroth. p. II. 12. Bibliotheca magna Rabbinica D. Iulii Barrolocii de Celleno Tom. II. p. 784, seqq. Ios. Ligstoot Hor. Hebr. & Talm. in Matth. II. v. 1. pag. 198. (h) Ios. l. XIV. c. 2. (i) Ios. l. XIV. c. 3.

bulum contendentes ad se accersivit: (a) *Exercitum dein adversus Hierosolimam movit*: (b) *Cum Aristobuli factio templum occupasset, pugnam Pompeio intentans, Hyrcanus Pompeio expugnanti opem tulit.* (c) *Expugnatum a Pompeio templum, immani Iudaeorum strage oppletum, Cicerone tunc Romanorum Consule, Hierosolyma totaque gente Romanis subingata & tributaria facta, Hyrcano pontifice iterum ac duce constituto, sine tamen diademate regio,* (d) *Hillele quinquagenario tristia illa Hierosolymae fata aegro animo contemplante. Quae fatalis Pompeiana urbis & templi expugnatio LXIII. ante Christum annis evenit. Aristobulus posthaec, Roma, quo captivus a Pompeio fuerat ductus, elapsus, Iudaeam frustra infestare. Qui a Gabinio captus secundo Romam missus.* (e) *Ex Idumaei vero Antipatri sententia res Hierosolymae constituit:* (f) *Quae proximior via brevi post Hierosolymae in Idumaeorum manus tradenda.* Antipatri quippe huius filius Herodes Iudaeorum mox evasit rex, cum ingenti horundem terrore. Inter haec Antipater tristi omine Iudaeae evasit gubernator, Hyrcano summo sacerdote, (g) *hand longe ante Hillelis in synedrio praesidium. Quod Iudaeos, ab Idumaeis exitium sibi praeaugurantes, vehementer momordit.* Crassus dein, quem Pompeius thesaurum in templo intactum reliquerat, immensa auri summa abstulit. (h) *Antipatro Idumaeo iterum hortante, idem Cassius Iudaeos misere exagitavit.* (i) *Julio Caesari in Aegypto militanti Antipater & Hyrcanus Iudaeorum nomine subsidia misere. Et Antipater quidem Aegyptios Iudaeos contribules suos astute compellavit. Ex eo Caesar Hyrcanum Pontificem manere iussit & gentis gubernatorem, Antipatrum vero Iudaeae procuratorem declaravit.* (k) *Antipater Idumaeus Caesare absente, stupido & segni Hyrcani*

D

inge-

- (a) Ios. l. XIV. c. 5. (b) Ios. l. I. c. 7. (c) Ios. bell. Iud. l. I. c. 5.
 Antiq. l. XIV. c. 8. (d) Ios. l. XIV. c. 8. Bell. Iud. l. I. c. 5. (e) Ios.
 l. XIV. c. 11. Bell. Iud. l. I. c. 6. (f) Ios. l. XIV. c. 11. (g) Ios.
 l. XIV. c. 15. (h) Ios. l. XIV. c. 12. (i) Ios. l. XIV. cap. 12.
 Bell. Iud. l. I. c. 6. (k) Ios. l. XIV. c. 17.

ingenio abusus, provinciam pro suo arbitrio callide administrare coepit, Phasaelum filium natu maximum Hierosolymis & circumiacenti regioni ducem praefecit, Herodem alterum filium, admodum iuvenem, Galilaeae. (a) Phasaelus sua erga Iudaeos humanitate effecit, ut Antipatrum regis instar tota gens coleret; Hyrcano tamen non offenso. (b) Interea Herodes Galilaeae praefectus, ibidem in Iudaeos quosdam saevire coepit, quo Romano in Syria praesidi gratiam fecit. Ios. l. c. Haec Idumaci generis in Antipatro & utroque filio, in perniciem Iudaeorum manifeste crescens potentia, magnates Iudaeos valde exterruit, ut tantum non sero suam praeaugurarentur eadem ac servitutem. Antipater mollitie Hyrcani atque indulgentia fretus, Hyrcani munera Romanis mittenda, suo nomine velut ex suis redditibus ablegare non erubuit, Hyrcano dum rescivit subridente. Herodis vero adhuc iuvenis ingenium ferox & audax pertimescentes seniores, tyrannidem eius praesentientes, apud Hyrcanum de iniquis Antipatri ausis questi, filium Herodem ad synedrium pro causa sua dicenda vocare suaserunt. Quod & factum. (c) Verum eo virium Idumaea haec familia iam devenerat, ut Antipatri consilio Herodes coram synedrio compariturus, purpuratus & armatus, satellitibusque cinctus adesset. Qui conspectus ingentem senatui incussit terrorem, qui in Herode iam hostem & tyrannum praeviderent truculentum. Nec proinde ausus quisquam eum in litem vocare, praeter unum senatorem, praesentis animi, qui audaciae eum & violentiae accusavit, culpamque in ipsiusmet Hyrcani & conficiorum indulgentiam veniamque datam devoluit, quos suo tempore poenam illi duros indixit. Hyrcani quoque occulta magis proditione, quam iusto in Herodem affectu, ne corriperetur, fuga clam imperata elapsus, Iudaeis & synedrio publice insultavit. Quod in Hyrcano imprudens connivendi coeptum ceteros senatores momordit, qui ipsi Hyrcano haec exitio fore ominati.

(a) Ios. l. XIV. c. 16, 17. Bell. l. I, c. 8.

(b) Ios. l. XIV. c. 17,

(c) Ios. l. XIV. c. 17,

nati. (a) *Vidit haec inter iudaicos doctores Hierosolymae senex Hillel, proxime ante synedrui praesidium huic a synedrui oblatus. Syriae praefectus Romanus, Sextus Caesar, ab Herode in suas partes magis pertractus, hunc Coelestriae praefecit. Animo exinde sumto Herodes exercitum contra Hyrcanum movit, tantisper a patre Antipatro & Phasaële fratre retractus satis iam fore ratus, Iudaeis monstrasse, quid in eorum perniciem moliretur. Ios. l. c. Hyrcanus suis rebus consulturus, a Iulio Caesare per legatos prioris foederis confirmationem quaesivit. Ios. l. c. Caesare obruncato, C. Cassius, Caesaris militibus ex Aegypto in Iudaeam commitantibus obviam procedens, illos & hos sui iuris facile fecit, Iudaeis vero Romanum hoc iugum tam onerosum esse coepit, ut non solum Cassio DCC. talenta argenti pendere iuberentur, sed & cum aliquae urbes non solverent, cum incolis publice exponerentur venales sub hasta, Hyrcano C. talenta ex suis rebus per Antipatrum submittente. Qua occasione Herodes usus, ex Galilaea C. talenta exegit, & primus Cassio exhibuit, quo huius gratiam aucupatus. (b) *Iugum idumaeum & Romanum valdopere iam aggravari, humeri Iudaeorum non sine tremore senserunt, quando Cassius & Marcus exercitus praesidio Herodem totius Coelestriae ducem constituerunt, milite addito, pro augenda potentia, ipsum quoque Iudaeae regnum, bello praesente finito, polliciti. Ios. l. c. c. 19. Tanta inter Iudaeos & Idumaeos similitudo, quod hi rerum inter illos potirentur, effecit, ut Hierosolymis Antipater in coena apud Hyrcanum veneno tolleretur. Quam iniuriam filii Herodes & Phasaëlus ulturi, Cassio adiuvante, vias quaesiverunt aptas. Ille ad festum pentecostes cum copiis terribitum primum accessit, Hyrcano necquicquam repugnante. (c) Postea apud Tyrum, cum Cassio gratulatum venirent omnes vicini magnates, Herodes Hyrcanum, & auctorem caedis Antipatri, Malichum, ad coenam invitavit, caedem huius ante epulum per subornatos milites Tyrios parans. Quod successit, Hyrcano**

D 2

cano

(a) Ios. l. XIV. c. 17.

(b) Ios. l. XIV. c. 18. Bell. Iud. l. I. c. 9.

(c) Ios. l. c. cap. 19. & 20.

cano attonito, sed dolorem metumque premente. (a) *Quae caedes novam Hierosolymae peperit cladem, dissidia inter Hyrcanum & Edomaeos fratres.* Felix namque, Cassii successor, Malichi caedem vindicaturus, Phasaëlum oppugnavit, populi Iudaici armis adiutus. Ille vero Felice superior, Hyrcano iam infensus, hunc corripere & premere ob studium in Romanos contra Idumaeos hosce, (b) *Herode similiter in Hyrcani perniciem nova moliente.* Apud Antonium, exercituum Romanorum ducem, in Bithynia degentem, Iudaeorum primates legati, Phasaëlum & Herodem accusaturi venerant, qui omnem potestatem in Iudaeos exercerent Hyrcano non nisi nominatenus Principe. Verum astutior Herodes Antonium muneribus sibi iam devinxerat, ut ne in conspectum quidem Antonii tunc admitterentur Iudaei. (c) *Vnum hoc obtinuisse contenti, corona aurea oblata, ut per Cassium capti libertati redderentur Iudaei.* (d) *Rurfus centum Iudaeorum primates Daphnen ad Antonium se contulerunt, cassam denno contra illos Idumaeos fratres acturi.* Veruntamen, quod Hyrcanus imprudens, sibi non patriae consulens, nepotem suam ex filia, Mariamnen, Herodi iam desponsasset, facies rerum profus mutata, ut velut cum nepte totam Iudaeam libertatisque patriae & gentis Herodi pro dote tradidisse videretur. Hyrcanus quippe ab Antonio quaesitus, quid de administratione regni Iudaici per Idumaeos illos iuvenes sentiret, illis applausit. Quo nutu motus Antonius, ut Idumaeos hosce, Phasaëlum & Herodem, Tetrarchas constitueret, & totius Iudaeae procuratores nominaret, reiectis adversariis, & misere tortis vel extinctis. (e) *Inter ea Antigonus, Aristobuli filius, regno Iudaico inhians, Pacori Parthi, Syriam tunc tenentis, auxilio fretus id effecit, ut Hyrcanus imperio moveretur, regnumque Antigono traderetur.* Exercitus quippe parthicus cum Antigonianis affleclis Herodem & Phasaëlum in arce Hierosolymitana oppugnavit, stragibus hinc inde editis, multisque Iudaeis per Herodem extinctis, festo pentecostes cruen-

(a) Ios. l. XIV. c. 20. Bell. l. I. c. 9.

(b) Ios. l. XIV. c. 20. Bell. l. I. c. 10.

(c) Ios. l. XIV. c. 22.

(d) Ios. l. XIV. c. 22.

(e) Ios. l. XIV.

c. 13. Bell. l. I. c. 10.

cruento. Donec artibus res ageretur a Pacoro & Antigono Quorum ille Hyrcanum & Phasaëlum legatos in Galilaeam ablegavit, itidem per insidias obruncandos, Herodem militum custodia cinxit. Vincula Hyrcano & Phasaëlo iniecta, eademque Herodiparata, ni clam, recognita, Hierosolyma cum familia opibusque suis versus Idumaeam in patriam confugisset. Qua occasione Parthi Hierosolymam cum arce & agris depopulati, urbes quasdam deleverunt. Antigonus, Iudaeorum iam dominus per Parthos factus, Hyrcanum & Phasaëlum victos tenens, Hyrcano auriculas praescidit, ut ad sacerdotium summum ineptus redderetur, quem sic mutilatum Parthi secum abduxerunt: Phasaëlo desperabundo semet, capite ad saxa in vinculis alliso, enecante. (a) *Herodes* elapsus, per Arabiae fines in Aegyptum indeque *Romam tendit*, Antonio fata sua expositurus openque ad regnum Iudaeae obtinendum imploraturus. Cui Antonius tantopere favit, ut in odium Antigoni, qui parthicum imperium agnovisset, *Herodes in publico senatu Iudaeorum rex decerneretur*, honorificentissime Romae habitus, quem totus senatus in capitolium duceret, profacris faciendis, splendido primo hoc regni die ab Antonio exceptus convivio. (b) *Quod XL. annis ante Christum factum.* (c) In his *Ventidius* Palaestinam iterum Romanis vindicavit, Parthis dilapsis, *Hierosolyma obsessa*, & Antigono ad magnam pecuniae summam pendendam coacto. Ios. l. c. *Herodes* ergo, copiis, Galilaea facile occupata, *Hierosolymam obsedit*, ubi pugnatum utrinque acriter. *Herodes* per caduceatorem ad moenia enunciavit, se saluti fore Iudaeis, & iniuriarum immemorem. Antigonus vero suos atque Romanos ita compellavit: *Herodi, extraneo, homini privato & idumaei sanguinis, neque a deo genuino Iudaeo, regnum Iudaicum offerere nefas esse, legibusque Iudaeorum inimicum.* Ios. l. c. *Herodes* igitur alio tantisper digressus,

D 3

regio.

(a) Ios. l. XIV. c. 24. 2. Bell. I. l. c. 11.

(b) Ios. l. XIV. c. 16.

(c) Conf.

Christianus Knorrius ab Rosenroth Harm. Evangel. p. 3, Car. Ioseph. Imbonati Chronologia p. 28. l. c.

regionem subiugum missurus. Antigono sic adhuc imperante, & Herode ab Antonio novam opem quaerente, *Herodis frater Iosephus, Iudaeis molestus*, ab Antigono caesus, capite eius inter furentis verbera rescisso. (a) *Herodes copiosiori milite instructus, bellum cum Antigono redorsus, multos iudaeorum prostravit.* Ios. l. c. Anno altero, postquam rex Iudaeorum Romae fuerat declaratus, *exercitum ad urbem Hierosolymam movit*; magna vi obsidionem urgens, (b) obsessis fortiter resistentibus, templo Dei fisis. *Exemplo Pompeii tribus aggeribus muros cinxit*, machinis illos quatiens: obsessi novos intus muros suscitarent. Cuniculis obsidentium obsessi alios opposuerunt: Quod tanta continuatum pertinacia, ut sub terra manus interdum conferrerent, neutri cessari. (c) Tametsi vero obsessorum aliqui deditioem suaderent, qui Herodis dominium evitari non posse animadvertent, obsidionem tamen quinque mensibus animose sustinuerunt. (d) *Herodiani tandem interiores etiam muros pererrupere, porticus circa templum exustae.* Exteriore templi area capta & inferiori urbe, Iudaei confugere ad interiora templi atria urbemque superiorem, unice de victimis rite faciendis solliciti. (e) *Vsque dum expugnaret Herodes memorabili tristissimoque fato, in ieiunio solenni, eodem die, quo ante viginti & sex annos occupaverat Pompeius.* (f) *Urbs expugnata, caedibus undique repleta, Herodianis potissimum in extremam Iudaeorum perniciem ruentibus, ut continua esset caedes per angiportus & domos, nec loco in templo supplicibus relicto.* Nec actati nec sexui parum: Furor in Iudaeos saevientis populi immanis, Antigono supplice, capto & vincto, ad Antonium ducto, & securi tandem percussio. (g) *Sic iudaicum Chasmonaeorum imperium & genus existitum, Herode Idumaeo sine metu regnante.* (h) *Qui in principio regni,*

(a) Ios. l. XIV. c. 27. Bell. l. I. c. 13.

Henricus de Noris cenotaph. pif. f. 146.

(d) Ios. l. XV. cap. 1. Bell. l. I. c. 13.

(f) Ios. l. XIV. c. ult.

l. XV. c. 1.

(b) Ios. l. XIV. c. 27. Confer.

(e) Ios. l. XIV. cap. 28.

(e) Ios. l. XIV. cap. 28.

(g) Ios. l. XIV. c. ult.

(h) Ios.

regni, *pro tyrannica in Iudaeos protestate*, suae dominationi adversos quotidianis suppliciis peremit, omnes *synedrui iudices* horribili *laniena* interfecit, vix duobus exceptis: *XLV.* magnates alios confodit: omnia bona regia civiumque opes meliores sibi vindicavit, ut calamitatis non esset modus, agris quoque incultis iacentibus, ob publicam anni sabbatici feriam. Contigit hoc calamitosissimum urbis & gentis fatum annis XXXVII. ante Christum natum. Neque terminatur *saevitiae in Iudaeos*. Hyrcanum, a Parthis nuper captum & abductum, in Babylonia inter Iudaeos versantem, pellexit, ut cum ad ipsum venisset, omni honoris studio insidias tantisper tegeter. Ios. l. c. Cavittunc sollicito Herodes, ne quis summus fieret sacerdos ex illustri genere; quare imae fortis sacerdotem, sibi quondam familiarem, ex Babylonia accitum, hac dignitate principio beavit. Ios. l. c. Nec ex Hyrcani familia *superstitium Aristobulum XVI.* annorum adolescentem, ad hunc debitum ex proavis honorem admisit, (a) nisi post longas preces uxoris Mariamnes, & socrus Alexandrae Hyrcani filiae: Quippe quod illum de regni cupidine haberet suspectum. Neque Alexandra effugere potuit Herodis severitatem, quae velut serva incio Herode nihil peragere sustineret, ne quid moliretur, quod pro gente iudaica in regnum restituenda faceret. Quae servitus Alexandrae & filio Aristobulo consilium suggessit, clam instar defunctorum in sandapilis effugiendi; detestum tamen proditione Herodi, illis sic deprehensis. Nec longam Aristobulo concessit vitam. Cum enim propensissimum populi iudaici affectum in inveniens summum sacerdotem regii generis animadvertisset, altero statim anno per insidias in vicina regia piscina suffecari curavit. Ios. l. c. Quod inexplicabilem Hierosolymae peperit dolorem; odium vero Herodis vehementer auxit. Hac aetate, inter cruenta illa publica facinora & immanem Herodis tyrannidem, Hierosolymis HILLEL, grandaeus senex, octogenarius, *synedrui praeses*, XXXV. ferme ante Christum annis constituitus. Hyrcanus senex adhuc superstes, cum instinctu Alexandrae filiae fugam Hierosolymis pararet, futu-

(a) Ios. l. XV, c. 2.

(b) Ios. l. XV, c. 9.

ram regni spem servaturus, proditus, ab *Herode* itidem *miserè necatus*. (a) Metuens vero *Herodes* socrus *Alexandrae* infidias, cum *Augusto Caesare* egit, ut regnum in *Judaeos* sibi *suæque familiae* confirmaretur. *Ios. l. c.* Interea de castello clausis, socræ & uxore, *Alexandra* & *Mariamne*, mandata dederat, si quid absenti *Herodi* eveniret asperius, illae interficerentur. (b) Quam sui caedem certo casu definitam *Mariamne* ex custode expiscata tam aegre tulit, ut maritum *Herodem* regem ferre dein nequiret, nec ille hanc, nisi in continua suspitione & metu. *Herodes* posthaec ab *Augusto Caesare* in *Aegypto* degente, quem convenerat, ingentia regni & in *Judaeos* ac vicinos imperii incrementa nactus. (c) Altero abhinc anno, simultate inter ipsum & *Mariamnem* uxorem crescente, quæ illi, tum avi *Hyrcani* tum fratris *Aristobuli*, necem exprobraverat, *Mariamne* publice ad supplicium ducta, quæ intrepido vultu animoque mortem oppetit. (d) Quæ insontis uxoris caedes *Herodem* velut furii vehementer exagitavit, qui defunctam *Mariamnem* saepe vocaret, velut vivam *Ios. l. c.* Peste tunc simul vehementer in urbe & aula regis grassante, animo quoque regis anxii magis distracto, sollicitudini quæsitus venationis praetextus, qui parum a desperatione abesset. *Ios. l. c.* Socrus *Alexandra* adhuc supererat interimenda. Haec igitur, absente *Herode*, eius morem imminere opinata, arces urbis occupatura, illam regis reversi iram est experta, ut & haec subito interficeretur. *Ios. l. c.* Viribus recuperatis iam efferus & ferox *Herodes*, ut saevienti nullam intermitteret occasionem. Omni priore regio *Judaico* genere penitus extincto, magis magisque a *Judaeorum* moribus liberrime recedere, & gentium pompam, ludos, spectacula, adfiscere. Pro certaminibus igitur athletarum theatrum in urbe *Hierosolymitana*, amphitheatrum foris magnificentissime suscitavit, hospitibus & spectatoribus ex vicinis terris invitatis. Quod *Judaicis* moribus dissonum, horrorem genti magis incussit. (e) Nec defuit deinde saevitiae ampli-

(a) *Ios. l. XV. c. 9.*(b) *Ios. l. c.*(c) *Ios. l. XV. c. 11. Bell. l. I. c. 15.*(d) *Ios. l. XV. c. 11.*(e) *Ios. l. XV. c. 11.*

amplior subinde materia. Decem cives in Herodem coniurarent, fidas occultentes. Coniuratione explorata, fidas illi producentes consilium fassi, sed non sui commodi causa, verum pro publica disciplina se id instituisse pronunciantes. (a) Hi ergo diris modis occubuerunt. Cumque illorum proditor manu quorundam Iudaeorum clam prehensus, in frustra dissectus, ac canibus obiectus esset, autores tandem per Herodem detecti, ad supplicium cum familiis rapti. (b) *Multas exinde arces munivit, Iudaeorum frena, Ios. l. c.* Sed & palatia in urbe & extra illam aedificavit sumptuosissima, Caesaris, Agrippae & Herodis, nominibus insignita. *Crevit indies Herodis potentia, filiis duobus ex Mariamne Chasmonaea, Alexandro & Aristobulo, Romam in curiam Caesaris deductis & clementissime habitis. Qua occasione Augustus Herodi praesenti optionem dedit, illorum quem vellet regni haeredem declarandi, regno eius insimul Trachonitide, Batanaea & Auranitide alisque terris aucto.* (c) Brevi post addidit munere regio Zenodori Tetrarchiam, inter Galilaeam & Trachonitidem. In qua terra, ad montem Panium, prope Iordanis fontes, *speciosissimum templum e candido marmore illi suscitavit. Quae res ultimam Iudaeis portendit religionis & morum receptorum perniciem.* (d) Quod cum publice in populo cum dolore pronuncicaretur, *Herodes indignius tractare populum, frequentes civium congressus & convivias prohibendo, quibus interim exploratores tectos immiscuit, qui sermones populi detegerent. Nec ipse noctis fugit pericula, habitu plebeio vulgi congressibus semet miscens, pro excipiendis de se iudiciis. Deprehensos truculenter torisit. Vinculum addidit Iudaeis intolerabile, fidelitatis iuramentum, quod ab illis pro Caesare & se exegit severe, vix amicissimis suis ingente sine vindicta exceptis. Pharisei in his, plures sex millibus, regum exterorum, Romanorum ac Edomaeorum, odio, iuramentum hoc tantopere aversati, ut detrectarent penitus. Quamobrem gravi onerati mulcta.* (e) Quod XIX. annis ante Christum natum evenit. Ab illo

E

tempo

(a) Ios. l. XV, c. 11.
loc. c.(b) Ios. l. c.
(c) Ios. l. XVII. c. 3,

(c) Ios. l. XV. c. 13,

(d) Ios.

tempore, cum Herodes Iudaeos sibi infensissimos sentiret, cuius regnum abominarentur, animos illorum arte delinire studuit, templo in illorum gratiam splendidissimo Hierosolymis munificentia maxima parato. *Odiū tamen sui apud Iudaeos & suū in illos tyrannidem deponere nunquam posuit: cuius cruenta vestigia in ipsa Christi natiuitate cum ingenti omnium terrore Bethlehemii fundo impressa.* Circa haec infausta, publica Iudaicae rei fatalia tempora, in extrema illorum calamitate & maxima regni conuulsione, quae ad proximum exitium videretur vergere, sub imperio Romano-Edomaeo, XLV. circiter ante Christum annis, cum Iulius Caesar Antipatro Idumaeo regimen & curam Iudaeae commisisset, Antipater quoque utroque filio, Phasaëli & Herodi, potestatem in Iudaeos tradidisset, qui insolentissime Iudaeis iam insultarent, intolerabile iugum minati, *exiit doctorum inter Iudaeos aliquis, qui, auctoritate pollens, in totius gentis afflictissimae solatium, in spem meliorum factorum, rerum Iudaicarum faciem concise & argute delinearet.* Quod decem characteribus comprehensum, fidei & spei Iudaicae compendium, ob magnam conditoris auctoritatem instar symboli, cabbalae seu iraditionis nomine, eodem imperio romano durante, ad posteros in exilio romano propagatum. Hic proinde symbolicus Iudaeorum libellus, eadem tempestate inter Iudaeos ante Christi tempora natus, qua in ritibus & ceremoniis Pharisaeorum superstitione in immensum excreverat. Quemadmodum enim statuta mosaica tunc temporis pro gente Iudaica aduersus apostasiam munienda & a gentibus apertius distinguenda, sunt repetita, roborata & aucta, *ut Pharisaismus Romano-Edomaeo imperio & in eo esset oppositus, qui dein nomine Mischnae sive legis oralis apud posteros seruatus: Ita & perbreue alterum decem sephiroth compendium historicum, totius rei Iudaicae, ab Abrahamo usque ad Messiam, nervosissimū argumentum atque symbolum, contra Romano-Edomaei imperii iniurias, pro gente in fide conservanda, sollicitè adornatum.* Mischnae vero ac immensam rituum & ceremoniarum molem, quinquaginta fere ante Christum annis: *Hillelis schola potissimum emeruisse, nemo ignorat.* Ab eodem proinde auctore, si quid iudico,

Hillele,

Hillele, qui triginta & quatuor circiter ante Christum annis in turbulenti-
 sissimis illis Iudaeorum saeculis, synedrii & academiae praesidium obtinuit,
 octogenarius, & quadraginta annis continuus in perpetuis publicae rei mo-
 tibus summa auctoritate iudaicam rem ad natum usque Chri-
 stum gubernavit, centum & viginti annos natus: Ab hoc, inquam,
 Hillele & haec profecta cabbala. Qui pusillus sed nervosissimus symbolicus
 Iudaeorum libellus teheshin complexus & antithesis. Quarum illa gen-
 tis Israeliticae beneficia & iura, haec gentis Romano-Edomaeae insidias
 & iniurias comprehendit. Vnde duo opposita vel contraria sche-
 mata, quorum illud Iudaeorum iura, hoc Romano-Edomaeorum in gen-
 tem Iudaicam iniurias pingit.

Iudaeorum Iura.

כתר		1. Corona	
הכמה בינה		3. Prudentia	2. Sapientia
גדולה גבורה		5. Potentia	4. Magnificentia
(חסר 1.) (פחד 1.)		(1. Terror)	(1. Gratia)
(דעת)		(Scientia)	
תפארת		6. Decor	
הוד	נצח	8. Gloria	7. Victoria
		9.	
יסוד		Basis	
מלכות		10. Regnum	

Romanorum & Edomaeorum Iniuriae.

כרתיהל		1. Excisio	
עוניאל סתריאל		3. Obstructio	2. Impedimentum
געשכלה גדולה		5. Incendium	4. Concussio
		6.	
תגרוון		Litigium	
ערבזק סמאל		8. Venenatus serpens.	7. Corvus dispergens
גמליאל		9. Ingratitudo	
לילית		10. Vtula	

E 2

In quo

In quo utroque schemate nihil de substantiis rerum, nec physicum ullo modo argumentum, sed solum morale & historicum, de regni populi iudaei indole & fortuna. Tegere vero & stylo figurato consignare, tum seculi genius, tum praecipue Romanorum ac Edomaeorum metus imperavit. Longissime proinde a scopo abit Stebius, Medicus & Consiliarius Palatinus, in caelo sephirothico Hebraeorum, cum reliquis inter Iudaeos & Christianos cabbalae interpretibus, qui in substantiarum rerumque naturalium doctrinam mysterium hoc sephirarum iudaicarum deflectunt; cum non sit nisi morale negotium, historia factum. Quod Iudaeorum mysterium ut intelligatur, ante omnia ratio appellationis decem sephiroth brevibus illustranda. Quod breve oporteret esse & nervosum illud rerum Iudaicarum compendium, idque textum, nec cuivis obvium, ordinis autem res esset apti in tanta brevitate. Pro rebus omnibus rite comprehendendis, auctori denarius paucorum characterum placuit numerus. Pro mysterii vero reive occulendae symbolo, numerorum usus ingenio: Qui scimus, ordini, adeoque numero, admirabilem inesse vim, pro quotidiana in omnibus rebus experientia. Denarii praesertim, inque eo ternarii & septenarii, immensum robar, universa rerum harmonia singulis nunciat momentis. Accessit, quod numeri denarii in omni rerum textura summam & inexplicabilem perfectionem Pythagoras cum aliis philosophis valdopere extulissent. Graeca vero philosophia isthac aetate Iudaeis familiarissima: Quemadmodum ante Meursium de Pythagorico denario, iam olim & Philo (a) maximam denarii vim magno exemplorum acervo illustrare satagit. Quandoquidem ergo Pythagoras pro laudati numeri concinnitate, & in rebus agendis conservandisque singulari aptitudine, artium ac negotiorum regiminis quoque civilis ambitum, nervosissimi compendii loco, in paucos & angustos denarii cancellos redegerat, ut omnes perfectae rei condiciones ad decem summa referrentur capita: *Apta ista Pythagorica scala auctori visa, quam oblique & argute in rem Iudai-*

(a) l. 1. de officio mundi,

indaicam transferret, quaeque adversariis, Herodi & Romanis, nullam iniquam iniicere videretur suspicionem de doctrina extraneo regimini adversa. Quamobrem generalis admodum servata decem characterum appellatio, quae ad quamlibet boni ordinis atque regiminis formam applicari queat: Quorum intima vis ac recondita sententia non nisi peritis esset cognita, & a fido doctore accepta. Nec enim Herodis ac Romanorum metus palam & aperte edicere aut scribere permisit. Quae causa, quare ambigua etiam illis sit imposita denominatio *ziphrarum*, ספירות, quae videri poterat referre ספירות, sphaeras, orbes aut circulos, rerum cancellos, ut revera etiam sunt, dein & numeros: Teſte vero denotat *quosdipus, lumina*, praecleari & illustri nomine, pro *indaeicarum rerum dignitate*: Sicut vicissim opposito regni Romano-Edomaei schemati nomen datum *ignominiosum & obscurum*, כרפות, *inanium corticum*, מללףון.

II. FUNDAMENTVM MORALE:

BONI CIVIVSCVNQVE REGIMINIS IDEA.

Decem sephiroth, aut lumina, generatim & abstracte boni cuiuscunqve regiminis ideam prae se ferunt. (1) כתר Corona. In vertice, מלך, diadema caput ambiens, unum principem regemve caput regni designat: Eis *נלפאן עסו*, unus esto rex, a quo & in quem omnia velut per circulum, qui cuncta ambit, in regno redeant. Inclytum unitatis nomen. (2) חכמה sapientia. Ex suprema regiminis potestate & imperandi facultate elucet ante omnia sapientia, totius regiminis anima. Sapientis rex esto, qui veritatem & quod rectum argute ubique penetret ac diiudicat. In uno veritatis laus magna. (3) בינה prudentia. Hic proximus est sapientiae fructus: Quid ex usu sit communi totiusque regni commodo, pro felici administratione, quid rebus omnibus, cuique loco & tempori, congruat, prudenter decernere & exequi. Quod boni invenit elogium. Quae tria tam arte combinata, ut distingui vix possint; in uno certe principe sem-

per velut in centro conveniant. Quare Iudaei tria haec summa regiminis momenta, unam supremam potestatem, cum sapientia & prudentia, tribus circulis sibi invicem connexis atque adunitis, effigiare conati, linea recta vel triangulari. In quo trino perfecto omnem regiminis perfectionem collocari indicarunt. Quibus dein septem alia lumina subiuncta, prioribus quidem comprehensa boni regiminis momenta, maioris tamen lucis ergo explicatius commemorata. (4) חסד *gratia & benignitas*. Hunc genuinum prudentiae fructum dicunt, clementer imperare, clementem oportere esse regem, & virtutis conservandae benignum praesidem. Quae regis גדולה *magnificentia*. (5) פחד *Terror vel iudicium*. Nec minus rigorem scelera plestendi, iudicique severitatem suo loco in rege requiri. Et iustum malorumque vindicem esse bonum regem. Quod regis robor, ac potens censura גבורה. (6) תפארת *Decor*. Medium utriusque, clementiae & rigoris, aequitatem, absque profusa gratia & nimia plestendi acerbitate, prudentiae effectum & regiminis esse condimentum. Quae regis רעות *nobilissima scientia*. (7) נצח *Victoria*. Hostes arcenti potentiam ac tutum praestandi regnum; exinde oriri, fide opeque subditorum. (8) הדר *Gloria*. Ex clementia, iudicio, aequitate, potentia, nasci regni florem atque splendorem (9) יסוד *Fundamentum*. Illam regiminis formam omnis in regno esse formae basin, ut constans & durable sit regimen. (10) מלכות *Regnum*. Ex istis praestantissimis boni regiminis sex conditionibus, aut luminibus, regnum emergere beatum ac fortunatum, ut ultima cum primis, regnum & corona, amicissime conspirent. Quae generalis celsi regiminis effigies, septem, vel & decem, summis characteribus comprehensa, ac velut illuminata, peculiariter sed recte applicata ad rem Iudaeorum, aut regimen iudaicum, quale sibi vindicarent, desiderarent, & in Messia expectarent. Illi ergo hos decem characteres vel recto locant ordine descendente, instar catenae, vel circulari forma, ut velut ex centro decem emergant radii, aut centrum decem amciant circuli, vel summi hominis veluti regis exhibeant, ita, ut tres primi instar trianguli caput

caput referant, quartus & quintus duo brachia, sextus cingulum aut corpus, septimus & octavus duos pedes, nonus partes genitales, decimus fundum, in quo consistat. Quibus dein centenae aliae figurae, pro cuius ingenio, tributae. Hanc induici regiminis perfectionem primum in Deo, auctore, dein in Israëlitico regno, ab Abrahamo usque ad Messiam, in ipso postremo Messia, suo ordine, sub eodem schemate simul designant.

III. DIVINI REGIMINIS EXEMPLAR.

Avtorem & fontem principiumque boni israelitici regiminis dilucide & aperte illis decem luminibus indicaturi, *ultra & supra decem sephiroth ambitum* statuerunt *אין סוף* luminis infiniti. Quo Deum summum & aeternum regem, coeli terraeque conditorem, & boni regiminis auctorem, designarunt, in quo omnia integra, bona, perfecta & consummata. Qui & unus, & sapientissimus ac prudentissimus: Cuius exinde regimen clemens, iustum, aequum, victoriosum, gloriosum, perenne, *regni nomine dignum*. Ad cuius normam & exemplum regimen in his terris debeat esse comparatum, illi simile aut conforme. In brevibus hisce lineis paucis submonuisse suffecerit, *subtiliores cabbalistas, veterisve symboli interpretes, ab eorum vulgo distingui, quorum illi in infinito Deo, israelitici regiminis auctore, trinum subnotant.* Quae longa Iudaeorum argutissimorum disputatio a. R. MEIR BEN GABBAI in Afodath Hakkodesch, magno molimine agitata, de *infiniti* puta *illius luminis אין סוף*, aeterni & divini, *tergemino* velut *fulgore*. In infinita quippe illa luce subtiliores illorum doctores observant (1) *אור צח*, lumen serenum, fulgorem extimum (2) *אור מצוחצח*, lumen candidum, intermedium (3) *אור קדמון* vel *אור* lumen primaeum vel auram primaeam. Quae tria unum constituere lumen infinitum & immensurabile asseverant. Qui huc accedunt, tribus istis eisdem aeterni luminis fulgoribus nomina tribuunt peculiaria. Primum aiunt, ob infinitam suam maiestatem & mentis nostrae imbe-

imbecillitatem *nomine carere*; alterum illis est absolute אין סוף *infinitum*; tertium כתר עליון *corona suprema*. Et hi quidem subtili hac ratione, pro tergemino illo aeterni luminis fulgore exprimendo, submonent, כתר *coronam*, cui ceteri cabbalisticæ inter sephiroth primum locum cedunt, ad sephiroth non pertinere, sed ad Deum ipsum, decem sephiroth aut *luminum autorem*. Idemque numerum sephiroth ternarium primum hunc faciunt, רעת חכמה בינה רעת *sapientia, prudentia, scientia*. Ut pro כתר *corona*, quam ex numero X. sephiroth eximunt, substituant רעת *scientiam*, quam tertio loco, post *sapientiam & prudentiam*, ponunt. Quæ subtilis meditatio de aeterni luminis tergemino fulgore, non nisi Iudaeorum solertioribus cognita, reliquis Iudaeorum doctoribus communem reliquit ordinem, ut Deum conditorem omnium uno expriment nomine אין סוף *luminis infiniti*, cum ordinario schemate decem sephiroth, emanantium luminum; cuius principium כתר *corona*. *Infiniti* vero huius nomina sunt celebria ארץ ארץ *magni* vel longanimi, misericordiarum patris, tredecim misericordiae notionibus insigniti, יהוה יהוה וגו' *Pro* argumento, Abrahamum totumque Israëlē sola Dei gratia & misericordia ad tantam eventum esse gloriam. Quæ decem emanantia lumina *in Deo ab ipso Deo infinito non distingui* affirmant, haud aliter ac in candente pruna aestus & fulgor, vel pruna & eius flamma. Characteres vero decem desumpti *ex variis scripturae locis*, ubi Deo manifeste tribuuntur. In quibus prae ceteris excellunt duo *illustria*, quibus totius huius cabbalæ nervus comprehensus. Prov. III. 19. 20. יהוה בחכמה יסד ארץ כונן שמים בתבונה ברעתו תהומות נבקעו *Deus sapientia fundavit terram, aperavit coelum prudentia, cuius scientia abyssi sunt ruptae*. In quo loco notiones sunt חכמה רעת בינה tres supremæ, *sapientia, prudentia & scientia*, & יסוד *fundamentum* in ima schematis basi. 1. Chron. XXIX. II. לך יהוה הגדולה והגבורה והתפארת והנצח וההודו כי כל בשמים ובארץ לך יהוה הממלכה והמתגשש לכל לראש: *Tibi, o Deus, debetur magnificentia, & robur, & decor, & victoria, & gloria,*

gloria, omnia inquam, quae sunt in coelo & in terra: Tibi, o Deus, competit regnum, qui super omnia extollaris. In quibus comparent reli-
quae notiones divinae: **הוד מלכות** נצח הוד תפארת נצח הוד מלכות
Magnificentia, potentia, decor, victoria, gloria, regnum, una cum
diademate, supremæ maiestatis insigni, sive corona כתר

Ex quibus ordo *characterum* cognitu facilis.

	כתר		
	1. Chron. XXIX, v. II.		
Prov. III, 19.	כִּנְרוֹ	חִכְמוֹהוּ	Prov. III, 19.
1. Chr. XXIX, II.	גְּבוּרָה	גְּדוּלוֹהוּ	1. Chr. XXIX, II.
		דַּעַת	Prov. III, 19.
		תְּפֹאֲרֹהוּ	1. Chr. XXIX, II.
1. Chr. XXIX, II.	הוֹד	נֹצֵחַ	1. Chr. XXIX, II.
		יְסוּד	Prov. III, 19.
		מַלְכוּת	1. Chr. XXIX, II.

Et haec quidem omnia *de Deo* dicta per se sunt clarissima.
כתר *Corona*, primum in infinito lumen, *unitas summaque imperii*
maiestas. Sub uno quippe capite omnia unita, una regendi for-
ma, sine divisione, divulsione aut diffidio. חִכְמוֹהוּ *Sapientia*, in
Deo eiusque regno consummatissima. כִּנְרוֹ *Prudentia*, in Deo
ac divino imperio exactissima. גְּדוּלוֹהוּ *Magnificentia*, maxime
ratione חסד clementiae, in Deo clementissimo ac vere miseri-
cordi ineffabilis. גְּבוּרָה *Potentia*, in qua פחד *terror*, vindican-
di robur in Deo eiusque regno, summo in malos rigore.
תְּפֹאֲרֹהוּ *Decor* vel דַּעַת *scientia*: Acquitatis summae in Deo
encomium, pro regni divini decore, qui clementiam & vin-
dictae rigorem acquissime temperet. נֹצֵחַ *Victoria*, Deum
hostes suos & regni sui potentissime profigare. הוֹד *Gloria*, glo-
riam regni divini existere summam. יְסוּד *Fundamentum*: Immo-
tum Dei regimen, ac inconcussum. מַלְכוּת *Regnum*: In Deo
F praestan-

praestantissimum, perfectissimum. Quae septem ultima cum tribus primis arctissime coniuncta; ut prima ultimis & ultima primis exactissime respondeant. Hos vero *characteres non in Deo distingui, sed respectu hominum, quos regit, & peculiariter Israelitarum, intellectu facile.* Quamobrem cabbalistsae sub ipso divini regiminis & decem luminum schemate, *regni israelitici praestantiam & splendorem* subindigitarunt.

IV. BONI REGIMINIS ISRAELITICI EFFIGIES.

VTi perfectissimum *in Deo* regimen, ita ad exemplum & imaginem illius, simile in terris, *in regno israelitico* concipiunt, ab *Abrahamo per Mosén & Davidem usque ad Messiam.* Hoc ad coelestis & divini regni formam fuisse compositum, tametsi interdum aliqua ex parte viciatum, attamen subinde redintegrandum. In hoc **כתר** *Corona*, unitas; *sub uno Deo, uno rege,* unoque capite, unum ab omnibus immundis populis malisque separatum ac segregatum, non nisi bonum *populum,* continuo connexum, indivisum, divina virtute & gratia undique cinctum, vivere. **דבירה** *sapientia,* veram in hoc israelitico regno & *incorruptam doctrinam,* virtutis & integritatis semitam iustam, effulisse & comparere. Quo caractere *legem* insigniunt, qua *vera sapientia & solida ac universa fidei & virtutis disciplina,* citra omnem idololatricam & improbitatem comprehensa. Quod *vera sapientia sit timor Domini.* Hac distingui iudaeos ab omnibus gentibus, quas ob legis illius, a Mose Iudaeis latae, defectum, stultas ac stolidas appellant, nec cum hominibus, sed brutis conferunt. *Prima* haec *Iudaeorum* ab antiquissimis aevs *gloria,* qui ex lege *sibi solis sapientiam* prae universo, graeco etiam & Romano orbe, veram sibi solis Dei cognitionem, verum cultum, veram virtutem, veram spem, vindicarunt. **בונה** *Prudentia.* Haec in iudaico regno legi morali iuncta *longa statutorum compages,* quae prudenter & apte, concinne, congrue, omnia gerere, in
sacris

facris aequae ac civilibus, iubeat. Quae altera *Iudaeorum* celebrata prae gentibus *praerogativa*. Quae duo momenta, *sapientia & prudentia*, leges & constitutiones *mosaicae*, *iudaicae* sunt reipublicae anima. His igitur tribus, *corona*, *sapientia & prudentia*, indissolubili regni & reipublicae unitate, sub unius Dei cultu, citra commercium cum exteris irreligiosis gentibus, *legibus & statutis mosaicis* circumscripta, omnem absolvi asseverant rem iudaicam. Neque vero quidquam est in omni *Iudaeorum* re, quod sub illis tribus non comprehendatur. Hic omnes *mosaicae* leges, *sacrae & civiles*, hic *regulae amoris*, in Deum & proximum, omne forum, *universa res templi*, ut & *circumcisionis*, *sabbathi*, & quae ex illis pendent. Haec adeo *generalis reipublicae iudaicae effigies*, tribus clausa *symbolis*, in unum caput redactis. Quam rem sagaces pro ingenio centenis illustrant figuris, nunc tria capita uno capite comprehensa, nunc unum caput vocantes, nunc *cranium* cum duabus *cerebri partibus* aut *sinibus*. Ceterum sub hac aperta *moralis significatione boni regiminis* eiusque *divini in gente iudaica*, recte simul innuitur certum *gentis iudaicae intervallum historicum*, idque *primum ab Abrahamo*. Qui ergo *subtiliorum cabbalistarum* in primo *charactere כתר* *Coronae*, *lumen concipiunt ter geminum in Deo*, illi *ad istam imaginem*, *gentis israeliticae divinitatem*, *regiminisque celsitudinem*, aut *praestantiam*, in *tribus primis patribus*, *Abrahamo*, *Isaaco & Iacobo*, hic simul mente volunt. Sicut in *divinitate* in se illis est *אור קדמון אור מצומצם אור צה*, ita *ad aeternae illius lucis imaginem* ac *similitudinem*, *Abrahamum*, quem *ordinarie lucis nomine* insigniunt, *praefigurant symbolo fulgoris divini extimi sereni*, *Isaacum* *idea fulgoris intermedii*, *Iacobum* *effigie fulgoris tertii*, totum corpus *israeliticum* ambientis. *Qui res fulgores*, *divinitatis aemuli*, *unam eandemque simul constituunt lucem*, quae totam reliquam *machinam*, totam *israeliticam posteritatem* illustret. Atque hoc illis *mysterium כתר עליון* *Coronae supremae*. Hic *primus* apud illos *orbis gentis israeliticae*, *primordia clarissima*, *אצילות* *praesentissima divinitas*, *divina Israelis origo*, ad *aeternae divinitatis quandam imaginem*. Cabbalista-

rum vulgus, quod ex corona, sapientia & prudentia, primam triadem format, in his primis *Abrahamum, Isaacum & Iacobum*, pariter subindigitat, *primos suarum rerum autores divinos*. Oculatiores cabbalisticæ, qui coronam a numero decem sephiroth distinguunt, & numerum denarium a sapientia inchoant, triadem formant hanc primam: חכמה בינה דעת, *Sapientia, Prudentia, Scientia*, pro repetito *primi sui ordinis symbolo in Abrahamo, Isaaco & Iacobo*. In his sunt, qui *sapientiam* vocant *patrem, prudentiam matrem*, ex quibus *scientia filius, Israel*. Aliis *sapientia pater, Iacobus; prudentia mater, Hierosolyma; scientia ex sapientia orta lex scripta*. Alii centenis usi figuris, *ut senis antiqui*, quæ eodem redeunt. Atque hæc in *Corona prima ab Abrahamo repetita iudaicæ reipublicæ origo & gloria, primusque illorum mundus*, a quo cetera lumina lucem nacta, ceterique mundi, vel sequentia iudaicæ reipublicæ intervalla aut revolutiones prodierint. Est & in *sapientia, prudentia, scientia, secundus rei iudaicæ circulus*, ex priori ortus, inque priori iam consistens, *symbolum secundi intervalli historici*, aut pro figuris loquendi apud illos usitatis, *mundi Iudaicorum secundi בריאה novæ creationis, status populi ab exitu ex Aegypto*. Israel tunc, e servitute liberatum, e terra velut novum esse conditum, & in bonæ reipublicæ formam redactum, legibus & statutis conditis. Qui rerum iudaicarum status alia illis figura *mundus appellatur animarum separatarum*, quod ante vitulinæ idololatriæ lapsus integri fuerint aut fuisse considerentur. Sicut & per דעת *scientiam* speciatim effigiant *Iacobum* vel *Israellem*, ita similiter eundem nomine insigniunt *אדם קדמון hominis primi in Iacobo vel Israele tunc restituti*. Quæ est origo *comparationis inter hanc Israelis ex Aegypto liberationem & creationis historiam*. Pervulgatum vero, prolixos esse cabbalistas in describendis mysteriis *מעשה בראשית in creationis opere*. Quæ veterum arcana sunt *comparatio rerum primæ creationis cum potenti liberatione populi Israelitici ex Aegypto, & in instam bonæ reipublicæ formam digestionem*. Vnde *Iacobo vel Israeli cabbalisticum aut hieroglyphicè accommodatum nomen Adami primi vel restituti*. Qui & זעיר אנפין *par-*
vus

uns audit, & Puer Israel. Quod nomen septem etiam sequentibus
 luminibus, velut integro corpori commune. Post breve igitur
 istud *universae rei iudaicae compendium*, eadem distinctius mox
 septem novis luminibus repetitur ac illustratur. חסר *gratia*, be-
 nignitas, misericordia. Primus ac praecipuus hic character
 boni & divini regni Israelitici, natus iuxta illos *ex sapientia vel lege*:
 siquidem Deus spondit populo חסר *gratiam infinitam*; ut
 hanc quoque ipsi inter se praestarent; *praecipuum legis argumentum*
esse gratiam & benignitatem. Vti in principe *clementia* caput rei,
 ita & in civibus *officia mutua*, quae *officiositas* omnia sociat & fo-
 vet membra, ut communis fervetur incolumitas, vigor & san-
 guis reipublicae, qui totum permeat & vegetat corpus. Quam
 regni iudaici indolem, legis nervum, iugis delectati, *Iacobi*
dextrum appellant *brachium*. Et speciatim quidem hoc *Abrahamum*
indignant, cui חסר *gratia* peculiariter vindicata. Quo
 spectant promissiones Dei gratiosae, Abrahamo datae ac praestita-
 tae. Sic *gratiam Dei in Israelitas, gratiam Israelitarum mutuanam*, Dei
 aemulam, in iudaica aiunt florere republica. Proindeque pri-
 mus hic sacer reipublicae iudaicae character, *benignitas* vel *bene-*
volentia, vocatur & גרורו *magnitudo* vel *magnificentia*, quod
gratia Dei sit magna in Israel, qui & inter se mutua gratia ser-
 ventur, quorum & res sic augeantur communes. Dei erga gen-
 tem, summique regis clementiam, & mutua civium officia,
 maximum reipublicae Israeliticae esse incrementum. Atqui
 hoc ex illa parte *divinum inter Israelitas regimen regisve boni symbo-*
lum. Atque haec clemens *Israelitarum curia aut regia*. פורר *Terror*,
pavor: Secundum regni Israelitici symbolum, *indicii severitas* &
poenae & suppliciorum rigor. Natum hoc regni lumen ex כינר
prudencia, live statuta mosaica. Deum plectere Israelitarum hostes
 & virtutis. *Magna statutorum pars providicanda legum, gentis &*
virtutis, integritate, exemplo Dei. Haec apud Mosen *Iudicii &*
Synedrui auctoritas, ubi ferri & ignis vis magna, pro plectendis im-
 probis ac immorigeris, cum gentis & vicinorum terrore. Vo-
 catur apte *brachium Israelis sinistrum*: quod mera erga bonos gra-
 tia

ria non sufficiat, sed severitas etiam coercere debeat malos, altera velut regni manus. *Desum punire Israelitarum inimicos, & regem Iudaeorum pari modo corrigere in Israele pravos.* Data etiam paria nomina *דין* iudicii, *צבירות* roboris. Quae omnia vindictae & fori indicta. *Forum in Israele debere esse rigidum suo loco in pravos.* Inter figuras huic lumini tribuitur nomen *Isaaci*, cui pavoris character singulariter datus. Atque hoc in Israele *Forum vel Synedrium.* *תפארת* Decor. Medium assignant huic Iudaei locum sub gratia & severitate, & vocant *acquitatem, amorem ipsum, clementiae & rigoris temperamentum.* Quod divini inter Israelitas praesidium regiminis celebrant elegans & praeclarum, in amore positum. Ne nimia gratia indulgentiam, & nimius plectendi rigor desperationem vel furorem gignat, *acquitas & amor* consulit utrisque. Haec *sanctuarii, sacrificiorum & hostiarum gloria*, quibus per remissionum & expiationum celebritatem desideratissima parata temperies, & iustitiae vel rigori aliquo modo fieret satis, & gratiae sufficiens daretur locus. Quae *suavis transactio, inter spem metumque*, in civibus peccato gravatis. Frenum licentiae, ne nimia gratia ansam daret peccandi, & desperationis retinaculum ex mitigatione iustitiae vindicativae & gravis poenae, ne exitio perirent lapsi. Hoc symbolum peculiariter *זכרון יעקב* fert nomen *Iacobi*, cui decor praecipue vindicatur. Hoc emblema sanctuarii, cum aris & hostiis. Cuius imago speciosum *summi sacerdotis cingulum*, regni pectus. Sub hoc *moralis partium regiminis israelitici sensu* latet *tertia trias schematis cabbalistici, Abrahami, Isaaci & Iacobi.* Ut *Iacobus* omni modo *centrum* sit & *anima totius schematis & rei iudaicae.* Memoria vero *trium Patrum* apud Iudaeos repetita in omnibus reipublicae mutationibus aut revolutionibus. Atque hoc *symbolum tertii intervalli status israelitici*, sub Davide. Auditque *mundus Iudaeorum* *יצירת* formationis novae, *Israelem* tunc demum in cessam regni tormam esse evedum. *Quem reipublicae statum sub Davide & successoribus illius sanguinis, mundum* nominant angelorum, quod *David* sacra & civilia in ordinem digesserit aptum, sacerdotes per suas

suas ephemerias & templi negotia, regni quoque administris & belli ducibus apte instructis. Atque ita **תפארת** *pectus, corpus & intima viscera totius iudaici mysterii* in toto schemate, ascendendo & descendendo, *sunt imago Iacobi gentisve israeliticae sub Davide. Iacob vero totius israeliticae rei sanguis & cordis penetralia, velut novus redintegratus homo, quem titulum Iacobo mancipant, in gentibus omnimodae perfectionis laudibus cumulatis. Huic totius respublikae pectori, pro symbolo, nomen Dei יהוה assignatur, quod inter Iudaeos amoris perfectissimi argumentum & tessera. (a)* Atque ita meditullium omnium sephiroth luminumve universae rei iudaicae, consensu solertissimorum Iudaeorum, *amor est, in quem omnis lex sacra velut in centrum collineet, umbilicus totius corporis, vinculum omnium membrorum, totius schematis cabbalistici intima medulla. Succedit ultima trias נצח ודור יסוד נצח* *Victoria. Potentia arcendi ac propulsandi hostes, regnum impugnaturus. Deum bella gerere pro Israele & victoriam huic suo populo largiri. Quae effigies Iudaeorum vel populi israelitici a matris, per exercitum quondam in deserto distributi, & in militia pro regni incolumitate strenui, צבאות. Hae victoriosae XII. tribus. Hic Moses, hic Pes dexter, quo regni israelitici nitatur incolumitas, gentis fortitudo. הוה Gloria. Dignitas & splendor divini in Israele regni non solum ex armato & victorioso populo, sed & ex sacrorum antistitum aut ministerii sacri legitima constitutione, & statutorum administratione. Atque hoc splendidum & illustre sacerdotum israeliticum, hic Aaron & hic צבאות. Hic pedis sinistri locus: Quod populus & sacerdotum collegium, velut duo fulcra rei civilis & sacrae. יסוד Fundamentum. Foedus divinum, quo universa Iudaeorum res nixa, circumciso. Vnde partium naturalium ideam, ex mente veterum, argute refert. Quod circumciso Iudaismi velut basis, qua totius regni propago constet. Huic nomen dedere *ינסי*, quod foedus servans, circumcisus, aestimetur *iusus*. Nomen porro speciale Davidis hic celebre: Quocum foedus regni perpetui inherit Deus, qui legem & statuta, sacra & civilia, curiam*

(a) Conf. R. Ioseph. Gezatilia in Schaare orah t. 183, col. 2.

& synedrium, populum & sacerdotium recte conservaret ac propagaret. David primus Deo gratus in Israele rex, doctrinae sacrae & rectae vitae custos, spes regni perennis. Hic, pro suetis figuris, *maritus audit, qui regno velut uxori sociatus.* Hic speciatim *Scir Anpin*, parvus. David statura parvus, animo magnus, perpetuus regni haeres, victor & triumphator. Sub hac quarta triade, Victoriae, Gloriam, Fundamenti, *quartum occulit reipublicae Israeliticae intervallum, quarta revolutio rerum iudaicarum, periodus praesens sub Imperio Romano. Edomaeo, sub desiderio & spe per Messiam parandae liberationis: Deum hostes Israelitarum, Edomaeo Romanos, ut aiunt, quovis tempore subigere, ne Israelitas perdant aut extinguant: ut victoria etiam in praesenti exilio illis ex parte divinitus paretur, quam tandem, adventante Messia, plenissime obtineant, omnium hostium victores.* Sicut in praesenti exilio infrequenti liberatione gloria gentis servetur; ita olim Messiae tempore, gloriae culmen illos consecuturos, servata interim in praesenti etiam servitute sub imperio Romano antiqui foederis integritate, circumcisionis usu salvo. Quae regni desiderati & spei universae basis. Atque hic status illis audit *mundus עשיעו* *infirmitatum operum, corporum, brutorum, gentium, inter quas degant.* מלכות *regnum, totius rei iudaicae fundus, superiorum omnium argumentum, quod respondeat primis, coronae, sapientiae, prudentiae, quaeque respondeant ultimo huic, regno: Cum omnia decem in unum redeant regnum.* Atque hoc *iudaicum regnum, cui nomen uxoris viri parvi antea descripti, puta Jacobi, vel & Davidis. Vxor Lea & uxor Rachel, pro diversis regni fati. Quod regnum Iacobo & Davidi velut desponsatum & insolubili vinculo ad Messiae tempora destinatum ac devinctum celebrant. Haec שכינה Dei sedes. Haec denique sabbathi religio, omnis desideratae quietis pignus. Haec decem regni Israelitici lumina, rege Davide: Cuius duo cardinales characteres, circumcisio & sabbatum, quibus velut marito & uxore regnum propagetur. Coniunctim tota rerum compages audit כסא הכבוד gloriae thronus. Quod autem passim in tantis lumini-*

luminibus aliquis animadversus defectus, spes aluit omnes, maximae omnium integritatis, in regno Messiae instaurandae ac perficiendae. Cuius arduae rei imago, prae ceteris, decem horundem luminum pleno fulgore est pro voto ac desiderio communi effigiata.

V. PRAEVLGIDI REGNI MESSIAE IMAGO.

Sicut aperte *vetus Davidicum Iudaeorum regnum* voce *regni indicatum*, ita simul recte, eadem voce, iisdem decem sephiroth, *regnum Messiae ex parte beatum*, mundo *מְצִילָת דִּיבִינִי* divinitati par, sine omni labe hostiumque metu, quale iugo durissimo Romano-Edomaeo pressi anxie expectarent sibi certo pollicerentur, curatissime effigiatur. Hic *ultimus totius symboli sephirothici*, luminumve decantatorum, *scopus*. Haec Hillelis ac iudaicae gentis ardentissima vota, sub truci imperio Romanorum ac Edomaeorum, haec communia suspiria. Huc igitur potissimum Hillel lecto suo symbolico libello. *כתר* Corona. Vnus rex toti collecto populo imperaturus, cui & univertiae gentes obtemperent, eidem devotae, ut una in toto orbe fiat optimi imperii forma, in unius Dei cultu, citra omne dissidium, animorum hominumque unione integra ac illibata, in Messiae regno, divino, ad coelestis regiminis exemplum composito, ut unus dicatur tunc regnare Deus. Vno verbo, *aeternum lumen fulgidissime assulsum genti israeliticae*, eamque undiquaque cincturum, ut pristinus redeat Abrahami, Isaaci & Iacobi fulgor. *חכמה* sapientia. In Messiae regno sub uno illo capite *omnem sapientiam legisve Moysi* penitus iri redintegratum, sine omni inscitia aut ignorantia; omnes a Deo tunc fore doctos, citra omne cum gentium exterarum doctrina commercium, doctrina purissima, ab omni extero contagio liberata. *בונה* Prudentia. In Messiae regno *omnia statuta Moesaica* plenissime iri observatum, ut omnia in lacris & civilibus fiant recte, integre, sancte iuxta

G

statuto-

statutorum ordinem, ne vel hilum negligatur, sed impleantur omnia, ex commercio cum gentibus hactenus collapsa, omni peccato excluso. Quod breve sanctissimi perfectissimique regni, Messia rege, compendium, ex illorum ardenti voto & impenso desiderio. In redintegrato ac ab omni labe mandato Messiae regno, iustitiam & sanctitatem regnaturam. Quae coelestis in Messia regni facies, speciatim porro septem reliquis illustrata luminibus, ad divinum exemplar. חסד & גְּדוּלָה gratia & benignitas eaque magnificentissima. Deum omnia promissa Abrahamo data tunc omni ex parte benignissime praestitutum. Dei erga Israëlitas, regni cives, & civium erga se invicem, gratiam fore amplissimam, benignitatem largissimam. Primum fore regni Messiae iudicium ac praesidium, divinitatis ac puritatis argumentum, misericordiae teneritudinem. פֶּחַד & נְבוּרָה Pavor & rigor. Deum in Messiae regno scelerum poenam rigidissime ab omnibus Israëlitis aut exteris Dei & virtutis hostibus sumiturum. Si quis a recto tramite studio declinare ausit, exorbitando, severissime iri punitum: ut bonis sua constet incolumitas, malis repressis & fractis. תְּפָאֵרֶת & דְּעוּת Decor & scientia. Amorem, gratiae & rigoris temperiem, summum fore decus regni, in cognitione Dei & virtutis exactissima, sanctuario intemerato, & ara pura, templo sanctitatis decore effulgente. Amorem centrum fore regni, pectus religionis, splendidissimum regium ac sacerdotale totius israëlitici corporis cingulum. Dei in Israëlitas amorem aemulaturus illos, mutuo inter se amore, pari, infucato. נִצְחוּת Victoria. Messiam omnes regni hostes potentissime propulsaturum, eos debellaturum & extincturum, ut pax regnet gloriosa & constans, ipsa quoque morte extinguenda & in victoriam absorbenda, ut regni Christi cives tranquille vivant, sine metu mortis, omnibus hostibus superiores. הוֹרֵי Gloria. Perillustre fore Messiae regnum, sacerdotii etiam gloria & splendore. Divini regni celebritatem totius orbis oculos in se conversuram, quam admirentur & colant obsequiosissimi. יְסוּדֵי Fundamentum. Circumcisione inclutum Messiae regnum perpetuo constitutum, veteri foedere nixum;

ver

vero Davide in Messia praesente ac imperante, pro foedere Abrahami inviolabiliter servando. מלכות *Regnum, Sabbathum, septimo millenario futurum religiosissimum, sua virtute perpetuum, in tranquillitate regni mille annis duratura. Hoc regnum illis audit sponsa coeli, regina, virgo Israël, domus David, sua integritate & sanctitate. Hoc Messiae regnum, non terrenum, ut in terra communiter existere soleat, mille modis vitiatum, non corporale, affectibus communibus cupiditatibusque pravis abreptum, sed divinum, sed spirituale fore, ex veterum traditione multis voluminibus asseruit R. IEHVDA LEO BAR BEZALEEL. Haec Hillelis & contribulium, symboli auctorum, sub intolerabili Romano-Edomaco iugo hiscentium, corruptissimo suo reipublicae statu, de divino Messiae regno spes & expectatio, quam decem illis aenigmatibus, sephiroth vel luminibus, praefigurare sategerunt; quam tota gens sub eodem hoc Romano imperio haerens, indefinenter retinet. Atque hoc est perbreve arcanum, reatum & mysteriis plenum, doctrinae & spei iudaice compendium, symbolum religionis publicum, ante tempora Christi servatoris, intra quinquaginta ferme annos, Antipatro & Herode Idumaeis, ducibus ac regibus tyrannis, Iudaeis imperantibus, Iulio Caesare & Augusto, Romanis Imperatoribus, dominis illorum supremis, in solatium Iudaeorum & in spem molestissimi Romano-Edomaco iugi excutiendi, pro gentis fide ab exterorum moribus distinguenda & integre servanda, solertissime adornatum. Quod aenigmaticum symbolum, omnis iudaicae doctrinae nervum, nisi periti non plene caperent, nec nisi viva conscii viri doctrina, velut traditione ad tempora usque Messiae propagandum.*

VI. ADVERSARIORVM REGNI ISRAELITICI ET MESSIAE CONSPECTVS.

QVando iugi & regni Romano-Edomaci odium Iudaeis occultum suae spei suggessit symbolum, quo animos bonorum a desperatione revocarent & in avita fide retinerent: *Hostium quoque suo-*

rum, Romano-Edomaei imperii, Iudaeis exitialis, *imaginem* pari arte & sagacitate delinearunt. Quemadmodum ergo boni & sancti regiminis, Davidis & olim Messiae, faciem decem luminum fulgore illustrarunt, ita *par characterum numerus in malo & exojo, irreligioso regimine Edomaeo & Romano*, sub quo onere tunc ingemiscent, aptus iudicatus, *qui hostilia pingeret arma, Iudaico regno opposita*, & tempore Messiae, quem proxime & anxie expectarent, opponenda. Sicut ergo in *regno suo sancto מלכות משיח* decem luminum splendore Iudaici & Messiae regni dignitatem expressere; ita vi oppositionis in *הייבא מלכות משיח* regno iniquo, *dedecora regni Romano-Edomaei*, Iudaico adversi, *sub Herode praesertim magno*, decem *כל פורא, κελύφον*, obscurorum corticum umbra detestati, quod supra iam indicatum. Quod enim triginta pere annis ante Christi adventum *immanem Herodis Edomaei tyrannidem* cum gemitu & sanguine sustinerent, animadverterunt, desiderati ac dudum promissi Messiae regnum haud longe abesse. Illis quippe *difficillimis triginta Herodiani regiminis annis* divinitus nonnullis viris bonis suggestum, in tanta calamitate, quae finem rebus Iudaeorum portenderet, proxime adventurum Messiam, aliudque regnum inchoaturum, quod pace & tranquillitate, omnique virtute gauderet. Cuius divini augurii testimonia, in *Simeone* aliisque, *in ipsius N. T. exordio* memorata. Qui proinde *Herodiana Edomaeae familiae iniurias* tot annis continuo experirentur, praesagiebant *ex Herodis potentia, Romanorum erga Herodem affectu, Romanorum item in Iudaeos dominio*, nec non *ampla regia Herodis familia*, cuius successio in regno iudaico a Iulio & Augusto, Caesaribus, promissa, *Herodem cum posteris aut filii successoribus*, non solum Iudaeis suo aere, sed & *Messiae* proxime adventuro, adversaturum, omnibusque modis indefinenter allaboraturum, ut Iudaeorum & venturi Messiae regnum funditus deleteretur. *Hostem adeo tum suum iudaei praesentem, tum Messiae proxime venturi indicantur immortalem, Herodem Edomaeum, cum regia domo & imperio Romano. In hunc igitur Herodem, suum & ut augurati Messiae propinqui hostem, Romani imperii auctoritate munitum, adeoque*

in imperium & iugum Romano-Edomacum, ferale & terribile decem corticum schewa, quod supra comparet, concionatum. Corticum nomen, pro figurarum usu, sumtum a reiectiis nucum putaminibus, quibus nucleus obiectus; Israëlitas quippe ab exteris gentibus, Edomacis & Romanis, velut putaminibus, diversis, esse cinctos. Tria vero, instar membranarum in cepis, nucum putamina, symbola Iudaeis dederunt trium praecipuorum corticum, five externi, non Davidici sanguinis, sed ex praeputiatis orti regni, quale Romano-Edomaeum erat. Tametsi vero Herodes cum patre Antipatro, & quibusdam proavis, circumcisi essent, moribusque Iudaeorum affines, nupera tamen & recens illa Edomaeorum circumcisio, Maccabaeorum demum aevo illis invitis imperata, ut Herodes cum omnibus Edomacis sua origine nuperimoque adhuc usu, ex praeputiatis essent oriundi. Hos ergo profelytas coactos, animo a Iudaeis alieno praeditos, haud aliter ac praeputiatos, aequè ac Romanos, uno incircumcisorum seu corticum reiectiorum nomine insigniverunt. Sicut ergo boni regiminis iudaici sephiroth seu lumina, glorioso nomine אור lucis ornata, ita & exteri in Iudaeos regni ignominiosos caliginis titulos statuerunt, ignorantiae & scelerum obscuras sordes. Præmus cortex, ut in nucè extimus, viridis; unus paganismi character, תהו inanitas; Alter cortex albicans, durus, instar lapidis, כהו Vastitas; Tertius albus & tenuis, חשך tenebrat. Quorum primus totum ambiat orbem paganum, in quo nullum legis aut scientiae divinae lucisve vestigium; alter obfuscet gratiam, tertius iustitiam, ne illis frui possint Iudaei, in quo isthoc pagano Romano-Edomaeo, inclementi & iniquo, pressi. His nubibus coerceri sanctitatem suamve gentem, ne emergat. Speciatim vero singulis decem regiminis iudaici luminibus a sinistra oppositi caliginosi cortices decem, qui veritati & virtuti e diametro repugnent. Nomen vero omnibus commune ארם Edom, pro tyranni tunc praesentis genere. Herodes namque Edomaeus sanguine, circumciscus quidem cum ceteris Edomacis, pro Maccabaeorum ducum imperio, verum extraneus ortu, a Davidis progenie, regia stirpe, pro iure & promissione

sione Iudaeis facta, semotus, animo praeterea a Iudaeis *aversissimo, truculentissimus tyrannus*. Similiter & Romanum imperium in viso Edomi nomine Iudaeis venire, pervulgatum, ABARBANEL praesertim longo interprete. Contra sancti regni כתר Coronam, in profano isthoc regno Romano-Edomaeo locarunt כרתיהל & כרתיהל Kartiel, *allusione*, inter literas etiam transpositas, adeoque & significationis *inversione manifesta*, cinctura prava, eversio, eversor: Edomaeos & Romanos non protectum sed excisum ire regnum Iudaicum. Alio nomine תמיעל Tomiel, *geminus*. Iudaicum regnum omni modo esse unum, unius quoque Dei cultu, paganum multiplex & divisum, illud solum bonum, hoc tantilla ex parte bonum, malum maxima idolorum etiam multitudine, & variis societatis vinculis. Praecipue, quod duo illo tempore reges existerent extranei, *velut duo capita simul, Herodes & Imperator Romanus*. Nec obscura allusio vocis Tomiel ad Edom. Alius character קמיעל karmiel, & קטב keteb, excidium, excisio, pari cum prioribus sensu, regnum Edomaeum & Romanum Iudaeis esse excisum. Alii vero oblique, pro veterum ingenio & illorum temporum affectu, his ceterisque characteribus fictis, in Romani etiam imperatoris, primi, tunc florentis, Caii Iulii Caesaris, mox & Augusti nomina, haud videbitur obscurum. Katriel, kartiel; ad nomen Caii, καίσιος, alludat. Addi vero אל, more sueto, ipsi monent Iudaeorum interpretes, non solum ob potentiam externi regni, sed & quod אל etiam denotet *idolum בכר אל Deum peregrinum*: Pro omine, extraneum illud iugum esse idololatricum: Pro maiori symboli luce aliud nomen iungitur, ex praecis Edomaeorum regibus, pro pari in Iudaeos affectu demonstrando. *Be-la filius Beor rex Edom. Gen. XXXVI. 32.* Alludendo simul ad ברע absorbere, Edomaeos Iudaicam gentem velut deglutire & extirpare. Quocum conferunt Biloamum, filium Beor, in maiorem irreligiosi exteri regiminis ignominiam. Contra regni Iudaici חכמה sapientiam, locarunt עוניהל Vgiel, *impedimentum, impediens*: Paganum illud regnum Edomaeo-Romanum impedire, quo minus Iudaei veram

veram sapientiam legemve Moſis obſervare queant, ſubſtituta potius aut imperata ſapientia vel doctrina externa, graeca religione & ſtudiis paganis obtruſis. Eſſe velut *interſtitium, aulacum* aut *maceriam*, quae diſcernat ac retrahat Iudaeos a coeleſti ſuo patre. Alias גועיאל *Guel*, boatus, boans, quod illi Iudaeorum doctrinae vel legi ſemper contradicant. Eſſe hos iſtar bruorum & boum, mente ac ſapientia, ſeu lege & vera ac ſalutari doctrina, deſtitutorum. Sicut poſito in regno iudaico ſapientia ſive lex ſymbolice appellatur אדם קדמון *Adam primaeuus, Adam reſtitutus*; ita ex oppoſito hic *Adam Belial* h. e. Edomaeo-Romani ſceleſti. Aliudendo ſimul ad כלל אלהים *ſine Deo, Edomaeo-Romanos vera Dei cognitione carere*. Sed & alludi ad nomen *Caesaris*, Caii Iulii, vocibus *Vgiel & Guel*, pelluceat facile. Ex Edomaeis priſcis regibus hic ſiſtitur *Iobab, filius Serach* de Bozra, quaſi אהוב iſraëliticae doctrinae hoſtis, ut & אהוב *Pyho, ſuſcinum idololatricum*. Et in Bozra צר *adverſarius*, Iſraëlitis inimicus. Similiter audit ארץ *extraneus, extra Dei caſtra degens*, citra verae ſapientiae cognitionem, ubi extranea potius doctrina, pro gentium philoſophia valeat. Neque plane, hac voce ארץ *chaz* ad *Caium & Caesarem* iterum alludi, opertum. Contra regni iſraëlitici בינה *prudentiam*, habent סתריאל *Satriel, occulatio, obſtructio*: Idumaeos & Romanos ſtatuta Moſaica occultari iubere, vetare ac peſſundare. שטריאל *morum obſtructio*. שטריאל *Sariel, Hirſutus* i. e. *Eſau, Eſavi generis, Iacobi contemptoris*. עשריאל *decaſ aſinorum & aſinarum*, quas Iacob dederit Eſavo, Gen. XXXII. v. 15 reſpectu omnium decem corticum. Egregio elogio. Huic datum cognomen רב *peſtis*: Edomaeorum ac Romanorum ſtatuta peſtis inſtar in Iudaeos graſſari, quae ſua virulentia Iudaeorum rebus ſit plane pernicioſa. Et odioſis characteribus hiſce, *Satriel, Haſſel, Sariel*, in *Caesaris* cognomen collimari appareat. Ex regibus Edom pro ſymbolo huc referunt *Chuſcham* de terra *Theman*, velut ſurdum Gen. XLVI. 27. *Idola ſurda & coeca in hoc regno valere pro integris & decoris Iſraëliticarum ſtatutis*. Quos tres cortices ſupremos capitis nomine appellant, haud aliter, ac tria prima

prima lumina in regno iudaico, *capitis* nomen referunt, ubi schema situm viri aut regis referat. Huius autem capitis vim debilitatam a Deo aiunt, ne vim omnem adversus Iudaeos exereret, alioquin de re Iudaeorum omni dudum fuisse actum. Inter reliquas septem regni Edomaeo - Romani characteres, contra *חסר* gratiam ac beneficentiam est illis *נעשברה* *Gascilla*, *omnia* *quatiens*, *immisericordia*, *inclementia*, *αοσηλλων*, *αοσημυδτια*: *Secare*, *laniare*, *perniciem Iudaeorum apparare*, *absque omni commiseratione, horum esse*; cum ipsi nil sint, nisi *quisquiliae*, Iudaeos haud aliter ab illis tractari ac *quisquiliis*. Alludi iterum ad *Caii iulii Caesaris* nomen, audimus sat clare. Dicitur & *כנפה* *plaga*, quae excruciet Iudaeos, pro sueta ferocia & truculentia. Deum vero avertere, ne plane extinguantur; Atque his festo anni novi tubae clangorem opponi, quo confundatur *satanas*, preces & suffitum. Num. XVI. 47. Huc inter reges Edom, rex *Hadad filius Bedad*, Gen. XXXVI. 35. *Herodem* oblique laceffendo. Contra regni boni פחר *iustitiam* est in regno immundo גולהב *Gulbab*, *flamma*, *incendium*, *tyrannis*, *exercituum ignes & faces*, quibus Iudaeos extinguere conentur. Huic & *retis tensi* nomen, ob continuas insidias Iudaeis structas, contra omnem iustitiam nimiamque saevitiem. Et hac voce *Gulbab* ad *Iulium* respici, forte planum. Huius symbolum ex Edomaeis est *Samla de Masreka* Gen. XXXVII. *quasi* *כרם זרוקה* *vestis sanguine foedata*; *Herodem* & *Edomaeos sanguine Iudaeorum se maculare*: Eosdemque, pro usu verbi שרק *Ec. VII. 18. dentes stridere, convitiis Iudaeos indignis modis proscindere*. Contra תפארת *amoris vinculum decorum*, est הנררון *lis*: *Edomaeos & Romanos litem Iudaeis sine fine intendere*: Allusione nova ad *Caesarem*. Hic שרל *Aspis*: *Venenatos illos Iudaeorum hostes, qui illos mordeant*. Ex regibus Edomaeis hic est *Schaul*, Gen. XXXVI. 37. instar שואל: *foveae* *Ps. IX. v. 18. qua mergant Israelitas*. Contra נצח *vicloriam* ערבורק, quod corvum dispergentem reddunt; *Romano* *Edomaeos, corvorum carnivorum instar, involare in Israelitas laniandos*. Et haec vox Romanum *Caesaris imperium*, Iudaeis oncro-

onerosum, rodāt. Quid si ad exercitum, in Romanos dicturi, oculos verterint, ut & ערב *ingentem* notat *turbam*. Est iisdem alio nomine פתן *vipera*. Ex Edomaeis vero Gen. XXXVI. hic locum habet *Baal Chanan b. Achbor*, pro omine בעל idolis, idololatratico cultu & morum genere Iudaeis obiecto, vehementer hos turbari. Contra חור *gloriam* סמאל *venenatus serpens, igneus, lethalis*. Quo Esavum & per latus eius Herodem indigent, qui synedrio & magnatibus populi semper adversatus, quos Romae apud Caesarem continuo deferret & accusaret; כפיר *leo*, כופר *apostata*. Ex Edomaeis Gen. XXXVI. 39. Hadar. Contra יסור *fundamentum*, Iudaeorum circumcissionem, *ingratitudo, malum rependens*, גבוליאל *camelus immanis, quo vehatur Sammael*. Quo praeputium exterorum populorum, Romano-Edomaeorum, vellicatur; alludendo ad מילה *circumcissionem*, quam illi nesciant, eiusque loco praeputii onus & gibbum instar cameli gestent. Iisdem hoc gentium insigne תנין *audit draco*, item אסנא *im-purus*, quod praeputium maximae impuritatis censeatur Iudaeis, Ex Edomi familia huc tertur *Obolibama*, Gen. XXXVI. v. 14. filia Ana, filia Zifon. Gamliem etiam *Caium Iulium* rodere, fere liquet. Contra מלכות *Iudaeorum regnum*, לילית *ulula*: Quod Romano-Edomaei caligini & nocti sint mancipati, a luce alieni, qui semper israelitico regno ogganniant & obstrepant, horrendo convitiorem ululatu. Regnum hoc esse tenebrarum. Sed & hic *Iulio Caesari*, Romani imperii conditori, Iudaeorum supremo domino, voce לילית *ululae*, dicam scribi, sat manifestum. Contrarii hi sunt colores iudaici & Romano-Edomaei in Iudaeos imperii, ab Hillele ante Christum natum, in turbis illorum temporum & fluctibus, decem utrinque lineis ducti. Qualia ipsi experirentur fata, talia ab iisdem hostibus Messiae quoque proxime adventuro augurati. Quodque illud *Romanum imperium* adhuc duret, sub quo magis videantur quam olim ingemiscere, *vetus illud Hillelianum fidei & spei iudaicae symbolum* perpetua apud illos servatur memoria. Ex quo factum, *ut brevissimum ab utraque parte cabballae illius compendium* in omnibus Iudaeorum

H

rum

rum aed'bus, ubi parit femina, vel parieti adscribatur, vel aër incisum suspendatur: ארם חוה חיץ לילית, *Adam, Chavva: foras Lilith.* Quod votum est pro regno israhelico isthac sua prole augendo & conservando, iugo vero Romano averruncando, quod Messiae tempore expectant. Maturari Messiae adventum precantur, & regnum iudaicum restaurari. *Adam* vero & *Chavva*, pro suctis figuris, illis sunt, pro analogia, *Israhel* (qui in cabbala appellatur *Adam primus* restitutus) & regnum israheliticum, quod *uxoris Iacobi* nomine celebratur. *Lilith* vero, *ulala*, invilum illis *Romanum imperium*, noctis usura, tenebrarum potestas.

VII. EVANGELISTARVM ET APOSTOLORVM DE REGNO CHRISTI STYLVVS.

IN summa populi iudaici angustia, sub Romanorum & Edomaeorum iugo, Herodis praesertim tyrannide, quinquaginta fere ante Christum natum annis, cum boni quique suspirarent, & promissam per prophetas in Messia opem enixe expeterent & expectarent, *divinitus aliquibus suggestum*, velut *Simconi, Zachariae, Hanae, & aliis, ante fores esse Messiam*, & promissa impleturum. Qui cum illo tempore natus, praeunte Iohanne Baptista, regnum divinum appareret, & iudaicae superstitionis larvas in suamet gente detegeret, nec ex illorum cerebro, sed Dei promisso coelestis regni indolem demonstraret, indeque a Iudaeis repudietur: *Ipsè & Apostoli corruptam iudaicam rem omnem, velut inutilem, penitus iri subversum intrepide annunciarunt, Quamobrem palam & distincte Iudaeis aperuerunt, quicquid a Messia expectassent, iam tum in Iesu exactissime esse impletum, citra iudaicam superstitionem.* In hoc Christi Iesu regno, *sub uno capite, totum orbem, Iudaeos & gentiles, pari iure, si velint, frui. Quos lucem desideratam, quae totum orbem, totam ecclesiam, ambiat & illuminet, iam adesse, nec a Iudaeis expectari aliam posse aut debere: subros, tenebras superstitionis iudaicae & paganismi, communis ignorantiae & iniustitiae, iam revera diffugere.* Nunc *Adamum primum & imaginem*

ginem Dei omnino redintegrari, peccato per Messiam abolito, morte quoque per eundem extincta, & vita aeterna comparata. In hoc Iesu Messia σοφίαν καὶ φρόνησιν omnes sapientiae & prudentiae thesaurus esse reconditos, quibus gaudere possint, si velint, omnes. In hoc Iesu Messia χάρις τοῦ θεοῦ, misericordiam & gratiam Dei exhibitam esse abundantissime. In hoc & severitatem Dei in improbos & immorigeros quoscunque graviter denunciari ac manifestari. In hoc esse γνώσιν, scientiam & cognitionem Dei plenissimam, decorem regnielegantissimum. In hoc verum Israel em totum orbe collectum, Ecclesiae esse pectus, ut omnes in orbe intelligere queant, quae Dei sit voluntas. Amorem integerrimum, τὴν ἀγάπην, in hoc regno omnium pectora devincire. In hoc Iesu Messia partam esse victoriam & pacem εἰρήνην καὶ εὐφροσύνην, omnesque regni Dei participes omnibus hostibus esse superiores. In hoc Iesu Messia summam esse gloriam δόξαν. In hoc solidum fundamentum, θεμέλιον duraturae perpetuo ecclesiae. In hoc Iesu Messia comparuisse regnum Dei βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Christum sponsum esse Ecclesiae, & Ecclesiam Christi sponsam. Quicquid igitur expectassent in Messia, reapse in hoc Iesu iam existeret, utpote vero Messia & rege. Omnem salutis & tranquillitatis spem in eo abunde iam esse impletam, sed absque omni Iudaeorum inani superstitione. Regnum illud non solis Iudaeis & Hierosolymae, sed universo orbi competere; non legem mosaicam & statuta externa amplius esse ostentanda, sed veram divinam sapientiam ac prudentiam animitus esse restitutam, sic omnes esse Abrahami filios, qui fidei sint Abrahami. Israel em verum ipsos esse Christianos, ex Iudaeis & gentibus, totum orbe collectos. Iam non sanctuarii, non templi, non hostiarum, non expiationum, non circumcisionis, non sabbathorum, rationem haberi, quae a Christo in semet simul ac semel praestita, & communem in Christo ecclesiam genuinum esse Dei templum, bonorum pectora aras, qui semet ipsos Deo offerant hostia s ratione praeditas, brutali sensu abiecti. Christi morte peccata esse expiata, in Christo omnes circumcidi corde, & sabbata celebrare in conscientiae tranquillitate, fide & virtute, spiritualia & divina in regno iam praesentis Messiae existere

omnia atque singula. Ita Christus & Apostoli, Iudaei, inter Iudaeos, ad Iudaeos, & adversus Iudaeos, non potuerunt non Iudaeorum uti stylo, de Iudaeorum rebus & regno differentes: Praecipue cum pleraeque voces ex ipsis V. T. penetralibus essent desumptae. Omnia quae illi iuste sibi spondissent a Messia, ex prophetarum sensu, iam tum esse confecta & coram comparere, dilucide asseverarunt, remota vana superstitione, a Iudaeis imprudenter attexta. Iudaeos legem Moïsi cum omnibus ritibus & ceremoniis, feriis & circumcisionis laciniis, frustra in Messiae regno expectare. Prophetas dudum praedixisse, rem illam veterem iudaicam, cum tota immorigera & superstitiosa republica iri sublatum, ut pro carne inter Iudaeos & gentes spiritui detur locus. Quod argumentum clare & fute persecutus EVSEBIUS praestantissimo de demonstratione evangelica opere. Similiter Christus & Apostoli palam affirmarunt, hostes Christi & regni eius, quos iam dudum reformidassent, & tempore Messiae magna vi prodituros & in perniciem eius conspiraturos tradidissent, praesentes detegi, & experientia manifestari ipsosmet Iudaeos, Christo & eius regno palam inimicos, quos iisdem etiam acerbis insigniunt nominibus. Quibus itidem minati illud exitium, quod Messiae hostibus statuisserent ipsi, reipublicae iudaicae ruinam. Sic Christus & Apostoli Iudaeorum de iudaica gente & Messiae regno traditionem, sive fute ab illis explicatam, sive brevi illo decem characterum schemati inclusam, ex propheticarum promissionum veritate adimpletam esse, sed ab omni superstitione liberatam, publice asseverarunt. *Vocibus ergo omnibus receptis usi, ast sensu prisco, vero, prophetico, spirituali, repudiata omni corporali & carnali a Iudaeis supposita significatione, opinione & spe.* Eoque pacto omnem de Christi regno cabbalam aut traditionem, doctrinamve maiorum, quibuscunque ideis, symbolis, aut compendiis effigiatam, omni modo in Iesu iam esse confectam, plenissimeque absolutam, pronunciarunt Evangelistae & Apostoli: *Qui crassam reliquam & superstitiosam Iudaeorum cabbalam, de externo regni statu & ceremoniarum Mosaicarum usu, aperto ore reticerent & exalte resellerent,*

rent, utpote a vero Christi regno alienam eique adversam. Hac ratione Christus & Apostoli ac Evangelistae, omnibus sermonibus & scriptis superstitione suffartam illam Iudaeorum cabbalam, reliquamve rem iudaicam omnem, insinenter impugnarunt, & tanquam Deo & veritati inimicam repudiaverunt. Sic pleraeque Epistolae sunt apertae refutationes & publica repudia iudaicae de regno Christi cabbalae; qui legem iudaicam cum immani statutorum mole, quam sapientiae & prudentiae scientiaeve titulis praetexebant, ore manumque reiecerunt, vera meliore in spiritu *οὐκ ἐν σοφίᾳ καὶ ἐν νόμῳ, in fide & virtute*, demonstrata, ac christianis ubicunque in orbe degentibus luculenter commendata.

§. XV. Haec mea sunt de cabbala cogitata, quae tamen nemini obruta volo. Si enim alias in abstrusis & aenigmaticis cuius liberum relinquitur hariolari, etiam mihi in his, extra controversiam abstrusis, ea licebit proferre, quae tempori & modo Iudaeorum docendi videntur propiora. Omnia autem eo tendunt, non ex cabbala orationem a Christo esse sumtam, licet alii καὶ ἀποστολῶν agentes tale quid in ea quaerere velint; sed potius hanc illi oppositam & ad destructionem eius tendentem. Absoluto itaque priori momento, ordine ad alterum progredimur, examinando: an eadem oratio ex liturgia ebraeorum publica, sive ex precibus Iudaeorum stans, mutuo sumta sit? eam namque tuentur opinionem inter alios eruditi orbis clari, illustris GROTIUS, MALDONATUS AC HERMANNUS WITTSIVS. Cumque hic ultimus fusius hac de re differat, (a) eum solum audire sufficiat. Sed, inquit, §. XXXII. ad orationem dominicam redeamus. Eam ita instruit Iesus, ut verba, phrasae, petitiones fere omnes, ex hebraeorum desumptae sint formulis: quibus expositis, sequentem in modum colligit: Procul ab omni verisimilitudine repulsus est, ut tanta phrasum ac petitionum convenientia, quanta deprehenditur inter orationem dominicam eiusque preces, quae Iudaeis in usu sunt, casu fortuito contigerit. Unde alterutrum factum esse oportet: vel ut recentiores hebraeorum magistri ea ex evangelio

H 3

desumpta

(a) Exercit. VI. de O. D. p. m. 100. seqq.

desumpta ad synagogae suae transtulerint usus, vel ut Christus ea ex veterum catechesi, ac Iudaeorum sui temporis consuetudine, mutuatus, discipulis suis ut bona & sancta commendaverit. Virumvis dicatur, certe in honorem Christi, huiusque orationis cedit. Nam si Iudaei iurati evangelii hostes, ea ex evangelio sua fecerint: oportet eos admodum captos elegantia, sapientia ac sanctitate illorum dictorum: ut non absterriti exosi nominis auctoritate, ea in suorum quotidie ore esse voluerint. Sed difficulter ab animo meo impetro, ut id factum esse credam. Probabilis longe videtur, Christum se, quantum sapienter ac sancte fieri poterat, populi genio accommodantem; quae bona apud ipsos inveniebantur, ut praeclarae fidei ac spei aureas reliquias, suis usibus applicuisse. Ita factum est, ut neque nimiae & affectatae novitatis avidum videri posset, & facilius intelligerentur atque acciperentur ea, quae tradebat, si pateret, ea collectionem esse praestantissimorum simuliorum, quae adhuc in ecclesiae iudaicae thesauro restabant. Attamen tanti viri auctoritas me non movet ut credam, quod servator ex Iudaismo, quem corruptum penitus destructurus in mundum venerat, sanctissimam orandi formulam delumferit. Probabilis mihi omnino videtur, Christum sapienter hanc orationem Iudaeorum precibus opposuisse & Moesen ac prophetas ab illis non intellectos in illa explicasse. Sicuti enim Moyses & Prophetae in veteri ecclesia in eo erant occupati, ut omnem cultum sacrum, externum aequae ac orandi modum ab idololatria omni modo avocarent, liberarent, ac perpurgarent; ita Christus in novi foederis limine nihil prius habuit, nec ulla de re magis fuit sollicitus, quam ut superstitionem iudaicam in cultu sacro externo aequae ac orandi modo aboleret, destrueret atque ad se discrimen in utraque ecclesia veteris & novi foederis manifestaret. Quod enim peccatorum Christi, Iohannes baptista, Iudaeis saepius exprobraverat, totum Iudaismum eiusque fata simul complexus, arborem esse infruiferam, iam iam iusto divino iudicio excidendam & evertendam, dracones non homines, illud ipse mox Christus ab exordio sui muneris usque ad finem magno spiritu Iudaeis ingessit, novo suo regno coelesti pro veteri illo terreno iudaico denunciato.

Omnia

Omnia in Christo & a Christo alia, quam in Iudaeis & iudaismo, Quapropter cultum inter Iudaeos sacrum iam profanatum & corruptum, quantus quantus, a capite ad calcem, cum omnibus statutis ac regulis vanum ac inanem, superstitiosum, ac nauci faciendum, palam pronunciavit. Quod dein omnes similiter apostoli, stante adhuc aliquot annis Hierosolyma, millies repetiverunt, ac abunde confirmarunt, qui finem iudaismo cum urbe & templo nec non sacris illis universis intrepide denunciarent. Circumcisionem & sabbatum, optima ante hac visa & religiosissima, ut crederent, Iudaeorum opera, spreto gentium praepotio & vano istorum cultui acquipararunt, profana illa esse omnia, aequae ac sacrificia, aras, sacerdotium, victimas, quae non nisi caro & carnis negotia, diserte profitendo. Quemadmodum ergo Moses paganismum, ita Christus ipsismet etiam iudaismum penitus reiecit ac cedere iussit, omnibus servilium rituum ambagibus semotis, ne sabbato quidem iudaico tolerato. Nec poterat ergo non, superstitioso templo misso & sacris illis degeneribus eliminatis, quin & precum vim atque dignitatem illustriorem planeque aliam edoceret, quam in iudaismo valuerat. Quod sublime argumentum Christus fufe aequae ac ceteri apostoli profecuti. Putidam in precibus iudaicis ostentationem, ac superstitiosam prolixitatem & garrulitatem ante omnia execratus Christus Matth. VI. quam meram hypocrisin appellaret, iussitque aperte ab his Iudaeorum moribus discedere, ut dissimiles christiani essent Iudaeis, hypocritis, a Deo alienis. Ut amplius dissimilitudo Iudaeorum ac christianorum pateceret, illos non audiri, ait, hos vero iam antequam orent, exaudiri: illis obstante hypocrisi & persuasione operis externi sufficientis, hos iuvante spiritu & sinceritate pectoris. Cuius quoad animum orantis inter Iudaeos & Christianos discrimen, summarim complexus, Fiet, inquit, Ioh. IV. 21. 22. 23. 24. ut nec Samariae nec Hierosolymis, in hoc aut isto monte aut templo, patrem adorent & invocent, sed in posterum veri adoratores patrem invocabunt in spiritu & veritate. Quod primo manifestum iudaicarum precum, ritibus ac ceremoniis alligatarum, repu-

repudium, dein *novi atque melioris orandi generis nuncium*. In lege & pristina servitute veterum metus & servilis pavidusque erga Deum affectus in precibus iusserat uti nominibus Dei plerumque tremendis ac terribilibus אלהינו אלהינו, *index vel magistratus, index noster*, ארני ארנינו, *domine, domine noster*, יהוה אלהינו, *optime, domine noster*, אל עליון, *clementissime summe Deus, optime maxime מלכנו rex noster*, אלהי אבותינו, *index patrum nostrorum*, גואלנו, *vindex noster*, qui ex manibus hostium nos liberat. Omnia *timoris* & suo loco *servilis affectus* indicia, qui serenum pectus nescirent, & fiduciam in Deum fucatam, pertenuem, vacillantem, cum formidine iunctam, portenderent. Vt in servis est, qui legibus devincti molestissimis & laboribus obstricti durissimis, partim pertinacia, partim neglectu, millies in heri sui leges impingunt. Vnde post Mosis tempora, qui duritiam cordis populo israelitico, eique pertinaci servorum instar, moribundus exposuit, Deut. XXXII. ille titulus בנינו *filiorum de Israele perquam in toto V. T. rarus; multo vero rarior אב patris de Deo, quod filialis in Deum affectus in populo nullus, in servili iudaismi timore. Quando enim appellatio אבינו pater noster, audiat inter iudaeos, ordinarie refertur ad terrenum suae gentis autorem, Abrahamum, quo patre non tantum gloriabantur, sed & omnem spem crasse in genus & sanguinem inde tractum ponebant Ioh. VIII. v. 33. 53. 56. ὁ πατήρ μου ἄβραάμ. Quae carnis iustitia cum omni scelere coniuncta, fiducia in genus avitum, proxima securitatis & exitii causa; potissima iudaismi gloriola, Abraham pater noster, superstitionis fons & origo. Nec in hunc diem ex ore Iudaeorum excidit זכות אבות, *merita patrum, Abrahami, Isaaci & Iacobi*, ob quae velut obstrictus Deus, ut Iudaeos praestaret salvos. Iudaei quidem ante adventum Christi & illa de Deo uti coepere formula, qua etiam hodiernum utuntur אבינו שבשמים *Pater noster, qui es in caelis*. Verum crassa illa & coeca Iudaeorum aemulatio sensum alium prae se tulit & praefert, non nisi loci & velut sedis qualicunque respectu, quod contra prophetarum usum, qui determinationem nominis cuiusdam*

cuiusdam divini אל בשמי; in coelo, adhibere sueti, discriminis gratia: uti אל בשמי *clementissimus in coelo* Deut. III. 24. ad distinguendum ab omnibus aliis אל *clementibus in terra.* Pro iudaismo igitur declinando, & vana iudaeorum iactantia, carnalique iustitia reiicienda, pro meliori christianorum sententia, pectorisque affectione in precibus explicanda, dici voluit Christus, *pater noster, qui es in caelis: Soli patri coelesti confidimus, illius regno addicti, non patri in terris, Abrahamo, nec sanguini illius filii, nec iudaicae sorti.* Pro maiore magni illius discriminis inter iudaismum & christianismum luce, Paulus a Christi abitu dilucidius atque distinctius dicit, *se orare patrem domini nostri Iesu Christi.* Quod luculentissimum *iudaismi repudium*, qui Christum non agnoscerent, multo minus gratiam Dei erga nos admitterent, cuius doctrinam & regnum despicerent. Inprimis vero Christus ipsemet iudaicae iactantiae temeritatem, Abrahami se esse filios, acerbe illis exprobravit Ioh. VIII. facta Abrahami & opera Iudaeorum curate examinando & comparando ac denique colligendo: *vos ex patre diabolo estis & cupiditates patris vestri cupitis explere.*

§. XVI. Ex quibus puto manifestum satis, compellationem hanc Dei, *pater noster coelestis*, distinguere operose & luculenter a iudaismo christianismum, in quorum illo non nisi scelera grassarentur, ubi *patrem* nescirent Deum, in hoc divina indoles floreret, ubi *patrem* nossent Deum, ipsemet Christo irrefragabili arbitro, sui que interprete veracissimo: *Haec est vita aeterna, ut se cognoscant patrem, & quem misisti filium.* Atque haec nova, a V. T. & iudaica sorte diversa & longe distincta *patris cognitio* atque *compellatio*, filialis fiduciae & fidei in filiis sive christianis testera, *haereditatis* etiam sive bonorum paternorum, *vitae* puta *aeternae*, seu immortalitatis atque beatitudinis, *ius & usum* comprehendit. Ut *patrem* appellare, sit, se *filium* testari, ius in bona paterna, usumque eorum legitimum, quam haereditatem dicimus, sibi vindicare. Cumque adeo patris sit *coelestis vivere aeternum* nec mori, filiorum etiam

beneficium ex patre, *vivere cum patre*, adeoque aeternum, utrinque beate, nec mortem timere. Quae dilucidior iudaismi ac christianismi oppositio, per totum N. T. illustrata: In iudaismo servitus metusque servilis, in christianismo filialis fiducia atque libertas, haec beatitudo in felicioris novi foederis rediit aetatem. Quapropter sine reipublicae & legis iam ingruente & veteris iudaicae caliginis termino appropinquante, *Messia praesente*, qui non in carne & fuce, ut quondam fuerat erant, sed *in spiritu & veritate* orare doceret, aliud plane nomen, vix ac ne vix quidem Iudaeis veteribus cognitum & intellectum, admodum amabile, אב פאטריס, laeto apud Esaiam c. LXIII. futurorum augurio celebre אביונו *pater noster*, a Christo in oratione adhibendum suis commendatum. Qui in nova ecclesia, in novo regno, *novus Dei character veteri iudaicae rei e diametro oppositus*. Hoc adeo peculiari christianismi caractere gavisi etiam in omnibus epistolis apostoli. *Gratia vobis & pax a Deo patre nostro & domino Iesu Christo.* (a) Quam praerogativam christianismi prae iudaismo Paulus explicuit plenius Ephes. III. 15. & c. IV. 6. *E Christo omnis paternitas in caelis & in terris nominatur v. 12. In Christo habemus libertatem & aditum in fiducia per fidem illius. Rom. VIII. 15. Non enim accepimus spiritum servitutis, (qui in iudaismo) sed accepimus spiritum adoptionis, (in christianismo) per quem clamamus, Abba Pater.* Post captivitatem quidem Babylonicam, in iudaica ecclesia restituta, antistites, interque eos Hillel, paulo ante adventum Christi, blandissima illa apud Esaiam obvia rara Dei compellatione, אביונו *pater noster*, in quibusdam precibus formulisque publicis frequentare conati, cum miseria communis iuberet verbis uti penetrantissimis. Quomodo & Ioh. VIII. 41. Iudaei *Deum* appellabant *patrem suum*. Veruntamen illa usurpatio quanquam forte sine ab aliquibus bono, ipsove Hillele, commendata, fructu suo nativo caruit, ut est adhuc intempestiva, quando sub lege, sub servili legis iugo, in fiducia in ceremonias & ritus posita, in

con.

(a) Rom. I. 8. I Cor. I. 3. Eph. I. 2. Phil. I. 2. Col. I. 2. I Thess. I. 1. 2 Thess. I. 2. 2 Tim. I. 2. &c.

conscientiae suae vulceribus filialis in Deum affectus nullus. In tanta flagitiorum frequentia, nulla Dei in Iudaeos propensio paterna. Quare Christus temerariam illam persuasionem paterni apud Deum in se affectus gravissime damnavit. Ioh. VIII. Quo factum ut in Iudaeorum precibus, praeter hunc faventissimum alioquin Dei titulum, veteres severi & terribiles servarentur, imo miscerentur ac incongrue confunderentur. Messiae autem temporibus, rebus & laetis serenis ac divinis unice & vere competierat hic character: Quare, quo Iudaei superstitiosi & pravi sensu pessimo & corrupto iam aliquo tempore fuerant abusi, christianis suo iure dedit & vindicavit, Deum filiali animo & laeto pectore, serena conscientia, citra metum compellendi, **אבנא אבנא** chaldaico syriacoque sono, *pater noster*. Hic ergo *genuinus, verus & proprius, natus N. T. character, veteri ferali iudaismo directa fronte obversus*. Quamobrem Christus discipulis de Deo differens patris nomine utitur, *pater eius, pater vester, pater vester, qui est in coelis*. Quod beneficium Iudaeis negatum, solis datum christianis, pro immani inter utrosque hiato Matth. V. 45. VI. 1. 4. 5. 6. 14. 15. 18. 26. 32.

§. XVII. Vnde non possumus illis consciscere, qui orationem dominicam ex liturgia & Iudaeorum precibus, corruptis, a vero deficientibus, terrena olentibus, conflata serio contendunt, cum nihil boni nec praeclarae fidei ac spei aureae reliquiae in illis invenirentur. Ceterum non negamus sed lubentes concedimus, servatorem vocabulis phrasibusque suctis, quibus pharisei, inter orandum fuisse usum; meliori tamen sensu & plane contrario. Quid vero opus, Christum dominum ad phariseorum rabbinorumque subsellia revocare, convenientiam quandam inter orationem dominicam & veterum formulas stabilire, illamque ex his desumptam adferere, cum in Mosis & prophetarum scriptis eadem passim, quae in oratione dominica, legantur vocabula phrasaeque. Ex quo probabilius mihi videtur, Christum se Mosis ac prophetis, quos ipsemet ab exordio muneris ad finem usque, omni omnino tempore, occasione quavis data, in

ore habuit, accommodantem, quae bonae optimaque apud ipsos inveniebantur, ut priscae fidei ac spei aureas reliquias, novae orandi formulae applicasse. Ita enim factum est, ut neque nimiae & affectatae novitatis avidus videri posset, & facilius intelligerentur atque acciperentur ea, quae tradebat, si pateret, istam collectionem esse praestantissimorum Mosis & prophetarum, qui adhuc in ecclesiae iudaicae thesauro adservabantur. Nam ex scripturis, non Iudaeorum precibus Christum collegisse orandi formulam ante nos vidit ac iudicavit ISIDORVS episcopus Hispalensis. (a) *Cum ergo, inquit, quaerere apostoli domino supplicare, & nescirent, quomodo deprecarentur, dixerunt Christo: Domine, doce nos orare, id est, compone nobis preces. Statim dominus de libro inris coelestis docuit, quomodo orarent & quomodo a domino impetrarent.*

§ XVIII. A Christo progredimur ad apostolos, de quibus quamvis in sacro N. T. codice non legamus, quod formula illa, a Christo praescripta, fuerint usi vel in concionibus vel in administratione S. coenae; id tamen ab apostolis factum, nullo modo negare possumus. Sunt enim & plura alia, quae in scriptura sacra expresse non leguntur, quae nihilominus facta fuisse pie colliguntur. Nullibi in scripturis novi foederis disertis observamus verbis, apostolos baptizasse in nomine Patris, Filii & Spiritus S. cum tamen de hac forma ipsius Christi acceperint mandatum, quod insuper habuisse fideles Christi discipulos nec concipi nec statui potest. (b) Communes fere doctorum ecclesiasticorum traditio est, apostolos in eucharistia orationem dominicam adhibuisse. Si Iacobi apostoli liturgia eam ferret aetatem, quam prae se fert, res esset manifesta. In ea enim (c) post sacerdotis exclamationem: *audeamus invocare sanctum Deum patrem, qui in caelis est & dicere, populus statim subiungit: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum &c.* Et quando perventum fuerat ad petitionem sextam, sacerdos inclinatus dicebat: *Et ne nos inducas in tenta-*

(a) De Offic. eccles. lib. I. de precibus c. IX. p. m. 392. & c. 3.
Herm. Witsii Exercitar. VI. de O. D. §. XXI V. p. 96.
Sic Patrum edit. Paris. 1560. p. 24.

(b) Confer.
(c) vid. Liturg.

orationem domine, domine, virtutum, qui nosti infirmitatem nostram nostrarum: sed libera nos a malo & operibus eius, ab omni insulso & machinatione eius, propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nostram humilitatem. Addit idem exclamando: quoniam tuum est regnum, potentia & gloria Patris & Filii & Spiritus S. nunc & semper: postea populus dicit: Amen. Cum vero, ut dudum ab eruditis omnium fere ecclesiarum ostensum fuit, ex multis capitibus illa liturgia supposititia sit, ex ea nihil probare possumus. (a) IUSTINVS MARTYR, ab apostolorum aevo non multum remotus, christianos in sacra synaxi Deum quidem orasse & gratias eidem egisse scribit; sed quibus formulis id factum fuerit, plane non exprimit. (b) Secundum Hieronymum (c) apostoli quotidie orationem dominicam soliti sunt dicere in sacra coena. Et GREGORIUS M. (d) sequentem in modum scribit: *Orationem dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* Haec verba, cum quidam ob particulam illam solummodo ita explicarent, quasi apostoli oratione dominica sola, exclusis omnibus aliis, sacram eucharistiam celebraverint, Cardinalis BONA (e) recte monuit, vel irrepsisse illam in textum GREGORII, vel ad alias orationes restringendam esse, quae consecrationem antecedunt & subsequuntur. Clarius vero mentem GREGORII, (f) expressit WALLAFRIDVS STRABO, quod nunc agimus multiplici orationum, cantilenarum & consecrationum officio, totum hoc apostoli & post ipsos proximi, ut creditur, orationibus & commemoratione passionis dominicae, sicut ipse praecepit, agebant simpliciter. Et relatio maiorum est, ita primis temporibus missae fieri solitas, sicut modo in parvasce paschae, in quo die apud romanos missae non aguntur, commemorationem facere soleamus, i. e. praemissa oratione dominica, & sicut ipse Dominus noster praecepit, commemoratione passionis eius adhibita, eos corpori Domini communicasse & sanguini, quos ratio permittebat.

- (a) Dupin nouv. bibl. Dei aut. eccles. T. 1. p. 9. (b) In Apolog. 2. p. m. 97. seqq. (c) lib. 3. adv. Pelagianos Ter. p. m. 805. (d) lib. VII. Epist. 63. (e) Rec. liturg. l. XI. p. m. 803. (f) de reb. ecclesiast. cap. 22.

§. XIX. Quocunqve vero modo se res ab initio habuerit, sive sola oratione dominica & verbis institutionis, sive aliis quoque precibus consecratio fuerit perfecta, id tamen certum est, quod TERTULLIANI & CYPRIANI aëvo iam fuerit oratio illa legitima & ordinaria. Ita enim ille: (a) *praemissa legitima & ordinaria oratione quasi fundamento* (non aliam autem, quam dominicam eum intelligere, ex contextu constat) *accidentium ius est desideriorum superstruendi extrinsecas petitiones.* Ecclesia certe constanter eam postea adhibuit in actione eucharistiae, praecipue circa finem testibus multis ecclesiae doctoribus. OPTAVVS MILEVITANVS episcopus (b) contra Donatistas scribit: *Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conversi, dominicam orationem praetermittere non potestis, & utique dicitis: Pater noster, qui es in caelis, dimitte nobis debita & peccata nostra.* Fiebat quippe absolutio ante orat. dominicam & ante communionem. AVGVSTINVS (c) dicit: *In ecclesia ad altare Dei quotidie dicitur ista oratio dominica & audiunt illam fideles.* Et alibi: (d) *Ecce ubi perfecta est sacrificatio, dicimus orationem dominicam, quam accepistis.* Et iterum (e) enarrans verba Pauli 1. Tim. 2. *quam totam petitionem, inquit, fere omnis ecclesia oratione dominica concludit.* CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS (f) eundem confirmat morem: *Post haec, scribit, nempe post commemorationem fidelium defunctorum, dicimus orationem illam, quam salvator suis discipulis tradidit.* Non obstante autem communi hoc more, seculo VII. quidam sacerdotes in Hispania non quotidie, sed die duntaxat dominica in sacris formulam illam orandi adhibere coeperunt. Sed quamprimum res haec ad notitiam episcoporum venerat, in concilio Toletano IV, quod DCXXXIII. fuit habitum, sacerdotes istos statim sub poena depositionis patres coërcuerunt.

(a) De Orat. Dom. c. IX. de Ieiuniis c. XV. (b) de Schism. Donatist. l. II. c. 20. p. m. 44. (c) lib. L. Hom. 42. (d) serm. in Vigil. Pasch. (e) Rp. 59. Qu. 5. ad Paulinam. (f) Catech. Mystagog. V.

runt. Iuvabit legere ipsa concilii verba : (a) *Nonnulli sacerdotum in Hispania reperiuntur, qui dominicam orationem, quam salvator docuit & praecepit, non quotidie, sed tantum die dominica dicunt. Atiamen, quia quotidiana oratio est, quotidie quoque utitur, dici oportet.* — *Quisquis ergo sacerdotum, vel subiacentium clericorum hanc orationem quotidie, aut in publico, aut in privato officio, praeterierit, ordinis sui honore privetur.*

§. XX. Et hic mos in utraque ecclesia, graeca & latina, constanter obtinuit, ea saltem differentia, quod apud graecos ab omni populo, apud latinos vero a solo sacerdote dicatur. Praeterea in illa aequae ac hac brevis praemittitur praefatio, qua sacerdos, se indignum agnoscens, protestatur se non audere Deum patrem compellere, nisi Christus monitis & praecipis fiduciam praebere dignatus esset. *Dignos nos redde, domine, dicunt graeci, (b) qui cum fiducia absque condemnatione ausimus invocare Deum patrem coelestem & dicere pater noster.* In ambrosiana missa haec leguntur: *divino ministerio edocti, & salutaribus monitis instituti, audeamus dicere pater noster, qui es in coelis.* Romana ecclesia semper dicit: *Praecipis salutaribus moniti & divina institutione formati audeamus dicere pater noster.* (c) Huius praefationis in ecclesia antiquitatem IOH. STEPHANVS DVRANTVS (d) deducit non tantum a CAROLI M. sed plane CYPRIANI aevo, ALCVINVS eius disertè meminit his verbis: *Oremus praecipis salutaribus moniti. Hoc enim praecipuum nobis est salutare, i. e. ad salutem nostram proficiens, quo nos unigenitus filius per lavacrum regenerationis & spiritum adoptionis Dei filios effectos dicere monuit, & non humana, sed divina sua institutione, ut Deo audeamus dicere pater noster, informavit:* Sic vos orabitur pater noster. In CYPRIANO (e) autem deprehenduntur huius praefationis vestigia, quando scripsit: *Qui inter cetera saluaria sua monita & praec-*

(a) cap. IX.

(b) Goar in Eulog. pag. 50. & 174.

(c) vid. Bona l. c.

p. 805. seqq. ubi plures habet formulas praefat. Maron it. & Mazonab.

(d) de rit. eccles. cathol. l. II, c. 47, p. 378.

(e) lib. de Orat.

Dom.

praecepta divina, quibus populo suo consuluit, ad salutem etiam orandi ipse formam dedit. E postea: quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Vestigia ibi deprehendi dico, cum mihi persuadere nequeam, illo tempore fuisse usitatam. Multo minus illis subscribere possumus, qui eandem ex Petri liturgia, quam suppositiciam esse scimus, derivare volunt. GUILIELMVS DVRANDVS, episcopus Mimatensis, GREGORIO M. tribuit praefationis additionem, neque ad prima illa tempora ascendere audet.

§. XX. Quemadmodum vero sacerdotes in eucharistia hanc formulam semper usurpabant, sic etiam fideles, ^{omnes} olim specialiter dicti, eam simul publice privatimque orare poterant. Illis autem, qui eorum numero per sacrum baptismum nondum erant adscripti, i. e. catechumenis non permittebatur ex oratione disciplinae antiquae, hanc orationem in ecclesia fundere. (a) Constat enim, quod catechumeni olim post concionem, antequam celebraretur eucharistia, in quo oratio dominica recitabatur, e conventu exire sunt iussi, & sic, ne recitationi interesse illis licuit. Accedit, quod veteres indignum atque incongruum iudicaverint, patris nomine Deum ab iis compellari, qui salutaribus aquis nondum regenerati neque a diabolo manu missi, adhuc inter filios tenebrarum recenserentur, de patre Deo gloriaturi falso, antequam in familiam eius solenni formula ritum adoptionis transissent. Ita enim CHRYSOSTOMVS: (b) *quod nondum initiatus est, non potest patrem appellare Deum; & THEODORVS: (c) Hanc nos orationem non initiatos non docemus, sed initiatos: Nullus enim eorum, qui initiati non sunt, dicere audet, pater noster, qui es in coelis, cum adoptionis donum nondum acceperit. Qui autem baptismi donum consecutus est, Deum patrem vocat, tanquam in gratiae filios ascitus. Movebat veteres & illud, quod panis quotidiani vocabulo iuxta plurimi intellexerint, quam*
catechu-

(a) Aibaspin, Observ. l. I. Obs. XIX, p. 91. seqq. Tob. Pfanner, lib. de catechum. c. 2. p. 22p. seq. Svitzer, Theol. eccles. T. I. p. 1284. (b) Homil. XXI, in Matth. V.
(c) In epist. Decret. c. 38.

catechumeni sibi poscere nequirent. Hinc AVGVSTINVS (a) competentes illa homilia, quam habuit feria secunda palmarum, ut edicerent O. D. sabbatho sequenti & proximo post baptismum reddendam: *Accipite hodie, quomodo invocatur Deus.* Et paulo post: *Tenete ergo & orationem hanc, quam reddituri estis ad octo dies.* — *Ad octo dies ab hodierno die reddituri estis hanc orationem, quam hodie accepistis.* Ex eo etiam factum credo, quod in ordine romano & ceteris, qui de ritibus ecclesiasticis atque divinis officiis scripserunt, & ille reperiatur ritus, certis quibusdam diebus quadagesimae catechumenos O. D. percepisse, ad eam sabbathi paschæ reddendam. Tradebatur autem brevi & nervosa expositione adiuncta, qualis passim in ordinibus ecclesiasticis, impressis & manuscriptis, observatur. Habet etiam bibliotheca nostra publica duas MStas, nec non BONA loco supracitato & alii alibi tales exhibent.

§. XXI. Sed quid de aliis scriptorum locis erit dicendum, in quibus ab omnibus hæc igitur oratio, si christiani nomen tueri volunt? Ita legimus apud AVGVSTINVM: (c) *symbolum vel orationem dominicam & ipsi tenete, & filiis vestris ostendite. Nescio qua fronte christianum se dicat, qui paucos versus in symbolo vel O. D. parare dissimulat.* Et alibi: (c) *ille bonus christianus est, qui symbolum & O. D. memoriter tenet, & filios & filias suas, ut ipsi teneant, fideliter docet.* Si sermones AVGVSTINI, ex quibus hæc loca sunt desumpta, fuerint genuini, dicendum erit, quod quidem oratio illa fuerit discenda, sed absque explicatione addita, vel tamen exigua; quemadmodum ipse AVGVSTINVS (d) submonet, verba ista esse discenda (aderant etiam nondum initiati) pauca etiam de eorum explicatione perstringit, & ubi ad verba illa, *panem nostrum*, ventum est, eadem consulto prætermisit, fidelibusque nota esse maluit dicere quam explicare: *Norunt fideles, inquit, quid accipiant & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium.*

K

§. XXXII.

(a) Hom. XLII. (b) Serm. in Dom. X. de Christ. nom. (c) Serm. 2.
in eadem dominica, (d) cit. Hom. XLII.

§. XXII. Sequentibus temporibus, quando cura sacrorum externa ad principes regesque devenit, in occidente praecipue CAROLVS M. & LVDOVICVS in capitulis diversis, ea de re constitutis, voluerunt, ut nomen duntaxat presbyteri O. D. intelligerent & omnibus praedicarent intelligendam; sed etiam omnes, qui christiani nomine venirent, illam memoriter tenerent & intelligerent. Ita enim habet capitulum de fide presbyterorum ab episcopis discutienda: (a) *Ut episcopi diligenter discutiant per suas parochias presbyterorum fidem, baptisma catholicum & missarum celebrationes, ut fidem rectam teneant & baptisma catholicum observent & missarum preces bene intelligant, & ut psalmi digne secundum divisiones versus modulentur, & dominicam orationem ipsi intelligant, & omnibus praedicent intelligendam, ut quisque sciat quid petat a Deo.* Et alio capitulo, de symbolo & O. D., negligentes obnoxii iudicantur disciplinae ecclesiasticae, (b) *symbolum, quod est signaculum fidei, & O. D. discere semper admoneant sacerdotes populum christianum, volumusque, ut disciplinam condignam habeant, qui haec discere negligunt, sive in ieiunio, sive in alia castigatione.* Propterea dignum est, ut filios suos docent ad scholam sive ad monasteria, sive foras presbyteris, ut fidem catholicam recte discant & O. D. ut domi alios docere valeant. *Qui vero aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.* Et paulo post: (c) *Quod presbyteris praevidendum sit, ut omnes, qui christiano nomine censentur O. D. & symbolum memoriter teneant & intelligant.* Ipsis quoque laicis hoc praescriptum legitur: (d) *Ut fideles O. D. discant & intelligant & suis sacerdotibus eam verbo ex verbo reddant, & alios fideles, qui eam nesciunt, doceant.* Hinc etiam per easdem leges non fuere admissi ad susceptorum munus, qui memoriter eam non tenerent: (e) *Annuncient presbyteri, ut neque viri neque feminae de sacro fonte filios vel filiolas suscipiant, nisi memoriter symbolum & O. D. tenuerint.*

§. XXIII.

(a) lib. I. capitular. cap. 66. p. m. 713.

(b) Ibid. lib. V. c. 161. p. 855.

(c) Ibid. cap. 170. pag. 857. & cap. 260. pag. 876. (d) Ibid.

l. VI. cap. 165. pag. 950. quae iam in concilio Romano. 630. habentur.

(e) Ibid. cap. p. 952.

§. XXIII. Ex eo ergo tempore, quo religio christiana ad omnes gentes fuit propagata, O. D. etiam in illarum linguis diversis fuisse auditam, recitatam & consignatam scimus. Quae res permovit plures, ut omni studio versiones orationis illius colligerent. Sunt vero sequentes, quæ in nostram venere notitiam. Pierre d' Auity, in *descriptione IV. partium mundi*. gallice. CLAVDIVS DVRETUS in *thesauro LL. universi*. gallice. BARTHOL. GEORGIEVITZ in *libro de moribus Turcarum*. CONRADVS GESNERVS in *Mithridate suo*. Ioh. Bapt. Crammage, in *l. qui centum versiones O. D. completitur*. Hieron. MEGISERVS in *specimine quinquaginta linguarum a. 1603*. IOH. MICRELIVS in *Pomerania Germ. ed. Part. 1. p. 124*. GEORG. PISTORIVS MAVER Pfart zu Duras in *l. Pater noster, oder das Vater unser in 40. unterschiedlichen Sprachen gedruckt zu Olmütz in 12*. IOH. REVERTERVS LIVONVS in *lib. oratio dom. XL. linguarum Rigae 1662*. ANGEL. ROCHA, Camers, in *bibliotheca Vaticana p. 367*. — SCHILDBERGER in *hisor. itinerr. sui & expeditionis belli sub Tamerlanc*. GEORG. STIERNHIELM in *limine evang. Gosh. Vphilae*. CASPAR WASERVS in *comm. ad Mithridatem Gesneri*. IOH. WILKIVS in *oper. angl. de lingua philosophica pag. 435. f.* Post omnes ANDREAS MVLLERVS GREIFFENHAGIVS, consiliarius olim electoralis & praepositus Berolinensis, denuo collegit orationis dominicæ versiones ferecentum easque publici iuris fecit. Duo autem monuit in praefatione, quorum primum erat, quod haec versiones ab aliis quidem antehac collectæ sint, non vero suis quaeque expressæ literis & characteribus, hic autem plerasque omnes, literis & characteribus genuinis exhiberi. Alterum est, quod se ipsum huius opusculi autorem non profitetur: collegisse quidem aliquas; sed quas cupro incisus habemus, aliasque plures minus obvias, a nonnemine, qui sub BARNIMII HAGII nomine latere voluit, hunc in finem accepisse. Sub huius BARNIMII HAGII nomine iam a MDCXL. prodiit versionum orationis dominicæ auctarium. Est vero hic BARNIMIVS, teste SEBASTIANO

GOTHFREDO STARCKIO (a) ipse MULLERVS GREIFFENHAGIVS, qui easdem versiones sub nomine THOMAE LVDEKENII Solquella-Marchici Berolini MDCLXXX. edidit. Tanti autem, ut idem refert, hæc versionum variarum collectio facta est ubique: ut non solum ob raritatem pretio insigni plerumque emta fuerit a curiosis; sed & in Anglia bis iam sit recusa, quanquam dissimulato MULLERI nomine, e quibus posterior editio lucem a. MDCC. vidit. Quin etiam editor ille anglus, (quod a viro quodam erudito, natione gallo, admonitus idem scribit,) ioculari prorsus errore editionem suam auxit. Nam cum MULLERVS p. 17. post versionem Biscainam, mentionem quoque fecisset Berriensis, atque id fecisset, sine dubio visa, vel audita, neque intellecta factis inscriptione, qua novi foederis codex sumtibus Reginae IOHANNAE ALBERTIAE HENRICI IV. matris Vasconice prodierat, appellatus Testament Berri i. e. testamentum novum (nam Berri lingua veteri Vasconum sive Biscaina novum est) liber perarar: primo impetu abreptus hic novam sibi linguam, aut dialectum invenire visus est. At editor ille anglus, hoc errore nequaquam animadverso, ut rem dilucidius scilicet traderet, e Berriensi nobis etiam novam quandam Bituricensem confinxit. Maior autem est harum versionum usus, quam censeretur vulgo forte solet. Nam dum veluti in compendio linguarum plerarumque omnium sistitur specimen, facultas eruditis datur, non solum de harum omnium iudicandi inter se affinitate; verum etiam de gentium ipsarum coniiciendi cognatione ac migrationibus. Eadem versionum collectio, plus centum linguis edita, etiam Augustae Vindelicorum post priores editiones curante IO. VLRIKO KRÄVSIO chalcographo. Dabimus saltem illarum catalogum iuxta editionem primum citatam (1) Orationis dominicae textus authenticus (2) Graeca e dialectis constructa (3) Graeca Barbara (4) Graeca Barbara alia (5) Graeca metrica (6) Hebraica

(a) in Praefat. de vita eius & opuscul. histor. praemissa alphabetis, ac notis diversar. LL. pene LXX. tum & versionibus or. dom. centum Berolin. 1703.

braica (7) Charactere Samaritano (8) Chaldaica (9) Syriaca
 caractere vulgato (10) Syriaca caractere estrangelo (11) A-
 rabica (12) Aethiopica (13) Amharica (14) Persica (15) Turcica
 (16) Tatarica (17) Armenica (18) Giorganica (19) Malaica
 (20) Malabrica (21) Brachmanica (22) Sinica (23) lectio
 mandarinica (24) Alia (25) Formosana (26) Iapanica & Tung-
 kingensis (27) Coptica (28) Coptica quasi antiqua (29) An-
 golana (30) Melindana (31) Abessinorum (32) Madagascari-
 ca (33) Latina (34) Gallica (35) Italica (36) Foro Iuliana (37)
 Rhaetica s. Grifonum (38) Hispanica (39) Sardica ut in op-
 pidis loqu. (40) Sardica ut in pagis (41) Lusitanica (42) Biscai-
 na (43) Berriensis (44) Valachica (45) Gothica (46) Fran-
 cica (47) Alemanica (48) Germanica antiqua (49) Germa-
 nica alia (50) Germanica hodierna (51) Helvetica (52) Saxo-
 nica (53) Britannica vetus (54) Anglo-Saxonica (55) Anglica
 (56) Scotica (57) Hibernica (58) Danica (59) Suecica (60)
 Norwegica (61) Islandica (62) Belgica (63) Geldrica (64)
 Frisica (65) Slavonica (66) Sclavonica caractere cyrulico s.
 Russica (67) Polonica (68) Bohemica (69) Dalmatica (70)
 Croatica (71) Servica (72) Carnorum (73) Lusatica (74) Li-
 vonica (75) Esthonica (76) Lituonica (77) Finnonica (78)
 Lapponica (79) Wallica (80) Hungarica (81) Mexicana
 (82) Poconchi (83) Virginiana (84) Philosophica prima (85)
 Philosophica secunda (86) Philosophica tertia. In auctario re-
 periuntur sequentes (1) Angolana (2) Arabica vulgaris (3)
 Aremorica (4) Boruffica antiqua (5) Cambrica (6) Coptica
 caractere aethiopico cum lectione (7) Coptica lectio alia (8)
 Curlandica (9) Graeca. Graecorum sub episcopo Thessaloni-
 censi (10) Hannonica (11) Hibernica (12) Latina caractere
 aethiopico cum lectione. Nullum dubium, quin catalogus iste
 multis modis augeri queat, ex antiquitate aequae ac ex nostro
 aevo. Dabo unum, quod cum versione francica in paucis qui-
 busdam convenientiam habet & cuius communicationem bene-
 volam excellentissimo domino histor. professori in hac Iulia B. C.

CARDO debemus. Ita autem se habet. *Vater unser ihu in himmel om bist, gewibit si namo thin, quaeme richi thin, werde willeo thin, sama so in bimile endi in erthu. Broot unseraz emezzigan gib uns hiutu, endi sarlaz uns schudhi unfero, sama so wir sarlaz an scolom unferem, endi nigiledi unsih in costunga aah arleti unsih fona ubile. Adiicio quoque al rerum, quod hodienu Henetorum est:*

Nös bölya wader ta toy chiss wa nebigáy. Siunta woarda rügi geima. Tia rik komma. Tia wilya schingöt, koke nebigáy, kok kak no sime. Nöessi wisse danneiana sigeiba doy nam dans. Un wittedoy nom nösse ggrey, tak moy wittedogime nossen gresnarim. Ny bring goy nöös ka warsiköngé. Tay löfoáy nös wit wissökak gundak.

§. XXIV. Sed quibus temporibus, quibusque modis hæc oratio in ecclesia vel olim fuit fusa, vel adhuc recitatur? In genere, præeunte BONA cardinali, (a) in officio divino tribus modis repeti solet, in principio, in medio & in fine: idque submissa omnino & secreta voce, vel alta prorsus & clara, vel partim tacita, partim elata. Et apte quidem ab hac oratione initium sumitur officiorum, ut abactis eius virtute muscis morientibus mens tranquillior facta ad pangendas Dei laudes præparetur, & devotionis suavitatem admittat. Aptè in medio usurpatur, quia totius psalmodiæ brevem continet anacephalacosim. Aptè item in fine, ne ille hostis antiquus semen bonum verbi divini, quod in officii recitatione seminatum est, rapiat de corde nostro, & conceptum a facie domini spiritum ardoris fumosis concupiscentiæ flammis extinguat. Quandoque vero submissa dicitur voce, ut interna cordis humilitas erga eum significetur, qui solus scrutator est cordium; simulque intelligamus, non in clamore vocis, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri. Quandoque tacita, & in fine clara voce pronunciat, idque propterea fit, ut palam ab omnibus communi consensu confirmetur, quod unusquisque oravit sub silentio. Orant singuli pro omnibus, orant omnes pro singulis, et fiat quod scriptum est: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. In laudibus autem, & vespertis ritui monastico clara semper voce dicitur a praelato,

(a) In psalmodia c. 16 p. 429.

praelato, siue a sacerdote, quem sequitur romana ecclesia in adventu, & quadragesima: tum quia omnibus modis laudanda Dei bonitas est; tum quia publica est, & communis omnium postulatio; tum quia unitatis, & pacis hac solenni recitatione admonemur, quam cum omnibus habere debemus, si cupimus exaudiri. In specie Clemens Romanus (a) monet omnes christianos, ut qualibet die ter orationem hanc fundant. In missa recitatur post canonem, quod ordinasse volunt GREGORIVM loc. sup. cit. cum ante ipsum oratio illa inordinate fuerit recitata, vel ante sacram oblationem, vel diu post sanctificata altaris munera. Cum vero sacerdos incipit *pater noster*; ut habet rubrica missalis, (b) extendit manus, stans, oculis ad sacramentum intentus, eamque prosequitur usque ad finem: Respondeo a ministro: *sed libera nos a malo*, & a celebrante, submissa voce, *amen!* Extendit vero manus exemplo Moysis orantis, & sursum elevat, ut fervorem cordis & rectam ad Deum intentionem ostendat: (c) Alta voce insuper dicitur, tum quia communis oratio est secundum Cyprianum, tum ut omnes eam addiscant, (d) tum quia sumpta est ex evangelio. (e)

§. XXV. In fine matutarum & vesperarum a Priore dicendam clara & elata voce constituit s. BENEDICTVS: (f) *Plane agenda matutina vel vespertina non transcant aliquando, nisi in ultimo oratio dominica omnibus audientibus dicatur a Priore: propter scandalorum spinas, quae oriri solent, ut conventi per ipsius orationis sponsionem qua dicunt: dimitte &c. purgent se ab huiusmodi vitio. Ceteris vero agendis ultima pars eius orationis dicatur, ut ab omnibus respondeatur: sed libera nos a malo.* Idem etiam in concilio Gerundeni (g) fuit statutum: *Id semper placuit observari, ut omnibus diebus post matutinas & vesperas oratio dominica a sacerdote proferatur.* In Lateranensi praeterea ecclesia, ut CARDINALIS

RASPO.

- (a) Constitut. Apost. lib. VII. c. 25. (b) Confer. Barthol. Gavanti Theol. Rit. Sac. T. I. p. 14 r. seq. (c) Durand. in Rational. Div. off. lib. IV. f. 172. (d) Id. ibid. (e) Id. lib. II. c. 47. (f) In regul. c. 13. in Cod. regul. mon. ab Holtzenio edito part. II. p. 27. (g) cap. X. & ex Gratiano de Consecr. cap. *Id. semper.*

RASPONVS in tractatu de praerogativis huius basilicae ait, (a) alta voce in omnibus horis canonicis recitabatur, quia haec ecclesia coelestis Hierusalem est typus, in qua concordia & pax perpetua regnat, & ut ostendatur, quod haec basilica salvatoris titulo dedicata sit, qui huius orationis autor fuerit. Quamvis vero haec rationes minime sint reiiciendae, praefendam tamen eam putaverim, quam adduxit DOMINICVS MACER (b) orationem scilicet illam dici in praefata basilica ex introductione monastica, quia ibi Benedictini diu manserant. In principio quoque horarum cum salutatione angelica dici debere, apparet ex rubricis generalibus breviarii romani. Observavit autem EDMUNDVS MARTENE O. B. (c) recentioris instituti hoc esse, cuius primam mentionem in libro usum Cisterciensium tantum videre ipsi licuit. In eo nimirum praescribitur, ut dimisso officii signo faciant solitam orationem super misericordias i. e. *Pater noster*, & *credo in Deum*, antequam versum, *Deum in adiutorium*, decantent; Bursfeldenses nocturnis vigiliis ter O. D. totidemque salutationem angelicam praemittunt; ita, ut post primam orationem salutationemque angelicam praeses chori subdat: *Pater de caelis, Deus, miserere nobis*; post secundam: *Fili redemptor mundi, Deus, miserere nobis*; post tertiam: *Spiritus S. Deus, miserere nobis*. In prima precatone fronti, in secunda ori, in tertia vero pectori signum crucis pollice dextrae manus imprimentes, idque nudis capitibus, prostrato, vel saltem, habita temporis ratione, incurvato corpore. Taceo alia tempora, quibus adhiberi solet in concione, baptismo & aliis actionibus. Taceo varias quaestiones eorum, qui de officiis divinis agunt e. g. an extra canonem sit? an initio laudum, quando separantur a nocturnis sit dicenda? an in fine vesperarum, subsequente statim completorio, dici debeat? aliasque plures, quae videri possunt apud Gavantum (d) & illos, quos ipse citat.

§. XXVI.

(a) Referente Domino Macro in Hierolexico p. 456 pag. 165. (b) Ibid. p. 457. & (c) de rit. Monach. lib. I. c. 2, p. 23. seq. (d) l. c. parr. II. p. 55. seq.

§. XXVI Sed & de particulis quibusdam orationis huius aliqua sunt notanda, utpote quod veteres, ad verba: *dimitte nobis debita nostra*, pectora percusserint. Circa verba: *libera nos a malo*, in rubricis missalis legimus, quod ea responderi debeant a ministro; cum tamen Durandus testetur, clerum hoc respondere solitum esse. (a) Cur vero a ministro tantum dici debeant, mysticam rationem hanc affert ANGLVS CONTVS, (b) tacere sacerdotem haec verba, in quibus petimus liberari a mali culpae praesentis, sicut in praecedentibus postulamus a praeteritis & futuris liberari: ne videatur sacerdos tunc temporis esse reus peccati mortalis. Eadem vero dicere populum convenientius, cui deinde sacerdos bene precatur, dum secreto subdit *amen*. Recte vero, ut monet Gavantus l. c. ad hanc rationem, quod idem sacerdos sibi quoque optet & petat liberari a praeteritis, praesentibus & futuris ea prece: *libera nos quaesumus &c.* quam prisci rituum expositores graeca voce embolismum vocant, latine interpositionem sive excrementiam aut superaugmentum. Ea siquidem magis exprimitur, a quibus malis liberari petimus, a praeteritis scilicet, praesentibus & futuris. Tandem sacerdotes graeci, recitata a populo oratione, dicunt elata voce: *Quia tibi convenit regnum & virtus & gloria patri & filio & spiritui S. nunc & semper & in secula seculorum amen.*

§. XXVII. Postquam igitur huc usque vidimus, quando & quomodo in ecclesia oratio haec fuerit adhibita, paucis adhuc mentio erit facienda Pelagianorum & Bogomilorum, quorum illi orationem dominicam auferre, & hi, omnibus aliis precibus reiectis, unice admittere contendebant. De Pelagianistis testis est AVGVSTINVS, qui cum illis plurimum negotii habuit. Ita enim scribit: (c) *Nova quippe haeresis & nimium perniciofa tempestas surgere inimicorum gratiae Christi coepit, qui nobis etiam dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cum enim Dominus*

L

docuerit,

(a) l. c. lib. II. c. 49.

(b) de Ministerio missae part. V. c. 1. Refer.

Gavanto l. c. part. I. p. 145.

(c) Ep. 92. fol. 87. K. L. & Ep. 94. fol. 88. k.

docuerit, ut dicamus: dimitte debita nostra &c. *Isti dicunt, posse hominem in hac vita, praeceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem institutione sine adiutorio gratiae Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit tam necessarium dicere: dimitte nobis debita nostra. Illud vero quod sequitur: ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum, tanquam divinum adiutorium postere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra esse positum potestate & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis. Verum non tantum his ipse statim subiicit refutationem, sed & alibi scribit: (a) omnibus enim necessaria est oratio Dominica, quam etiam ipsi arietibus gregis, id est apostolis suis dominus dedit, ut unusquisque Deo dicat: dimitte nobis debita nostra &c. Cui enim haec in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato vivere pronuntiandus est. Quales si alios quos futuros Dominus praevideret, meliores utique quam extiterunt eius apostoli, aliam orationem illos doceret, qua non peterent dimitti sibi peccata, quibus in baptismo fuerant omnia iam dimissa. Nam si Daniel sanctus non coram hominibus, quasi humilitate fallaci, sed coram Deo, i. e. in oratione qua Deum precabatur non solum peccata populi sui, sed etiam sua confitebatur, sicut eius ore veritico expressum est: nihil aliud mihi videtur dicendum istis, nisi quod per prophetam Ezechielem cuidam superbo Dominus mandat: Nam quid tu sapientior, quam Daniel? Ipsum quoque concilium Carthaginense sub Honorio a. CCCCXIX. habitum, malitioso huic hominum generi anathema dixit duobus canonibus, (b) quorum primus contra illos est, qui dicunt se non orare pro se, dum dicunt: Debita nostra; sed pro aliis. Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: dimitte nobis debita nostra; ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis tam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores; & ideo non dicere unumquemque sanctorum: dimitte mihi debita mea: sed dimitte nobis debita nostra; ut hoc pro aliis potius, quam pro se ipsis petere intelligatur; anathema sit. Alter vero oppositus est illis, qui volunt, se in petitione: libera nos a malo; humiliter orare, non veraciter. Item placuit, ut quicumque verba ipsa*

dominicæ

(a) Ep. 89. f. 82 G. H.

(b) Can. VII. & II X.

dominicae orationis, ubi dicitur: dimitte debita nostra: ita voluit a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Eisdem etiam sibi sumit refutandos HIERONYMVS. (a)

§. XXVIII. Vt vero hi orationem dominicam, minimum omnibus, tam necessariam & utilem non esse iudicaverunt, sic alii fuere, qui orationem illam tam necessariam esse voluerunt, ut illam unice fundendam putarent, reliquas omnes vero penitus excluderent. Fuerunt hi Bogomili, (b) qui autore Basilio, monacho & medico, in oriente sec. XII. multas dedere turbas. In precibus leguntur fuisse seduli, sed solam orationem dominicam probarunt, eaque sola usi septies interdum & quinque noctu. *μόνον ὑπομένουσι προσευχῆν τὸ πατήρ ὑμῶν, τὰς δὲ ἄλλας ἀδεύουσα, βασιλολογίαν λαλῶντες.* In eo autem non substiterunt, sed, reiecta sacrae coenae administratione, quam diabolorum sacrificium dicebant, Or. Dom. quam communionis panem appellabant, in eius locum substituerunt, occasionem forte fumentes ex IV. petitione, quam plurimi patrum de pane eucharistico intellexerunt, qui tamen ipsum sacrae coenae usum propterea non sustulerunt. Tanto vero huius orationis aestimio non obstante, abhorruere a verbis orationem Domini claudentibus: *quia tuum est regnum &c.* non minus atque a sanctae crucis, quam furcam vocabant, signaculo.

§. XXIX. Antequam autem sectioni huic historicae finem imponamus, taceri nequit, quod oratio dominica etiam fundi soleat ad globulos & calculos, qui communiter dicuntur *pater noster, rosarium, corona rosacea & corona B. Mariae*: quae nihil aliud sunt, quam series globulorum sive sphaerularum concatenata, ubi ad numerum minorum recitantur totidem salutationes angelicae (150. aut 63. aut 80.) & ad numerum maiorum totidem oratio

L 2

(a) libr. II. advers. Pelagianos. (b) de his videndi ex antiquis Euthymius Zigabenus, Harmenopolus & Anna Comnena; ex recentioribus Samuel Andrae de Bogomilis Marp. 1638. Sagittarius Introd. in H. E. pag. 809. seqq. Ioh. Ant. Winckler, Dissert. de Haeresi & moribus Bogomilorum, praef. excell. D. 10, Alb. Fabricio Hamb. 1702.

orationes dominicae (15. aut 7. aut 5.) Facere illud putant ad excitationem, directionem atque adiumentum mentis & memoriae, ad cultum Christi & Mariae rite absolvendum. Inventorem modi huius orandi autores vitae Dominici faciunt, revelante tamen Maria virgine, DOMINICVM ordinis fundatorem & ALANVM de RYBE, eiusdem ordinis socium, illius restitutorem. POLYDORVS VIRGILIUS autem scribit, (a) eius rei auctorem ferri Petrum Eremitam, hominem gallum, civem Ambianensem, qui circa annum MXC. floruit. Agnoscit id ALPHONSVS FERNANDES Placentinus, Dominicanus (b) & ita conciliat auctores, quod Petrus fuerit auctor orandi per calculos filo introductos, Dominicus vero instituerit rosarium, centum & quinquaginta salutationum angelicarum, & quindecim orationis dominicae repetitionibus constans, in devotionem cultus B. Mariae. Alii modum illum orandi per calculos altius repetunt ex exemplo Pauli Lybici, cuius mentionem facit NICEPHORVS (c) qui in orationibus quotidie se exercens, eas veluti quoddam tributum ad trecentas numero Deo offerebat. Ne autem ab eo numero aberraret, totidem lapillos in sinum deposuit & ad preces singulas singulos eiciebat calculos. Quibus ad eum modum consumtis, preces totidem absolutas esse constabat. Sed hoc fuit unius hominis singulare factum, quod in commune institutum non abiit. Hinc DOMINICVS MACER (d) ad remotiora ascendere vult tempora, in quibus pius hic usus ortum habuerit ad imitationem antiquorum in V. T. ut enim illi, scribit, solebant centum & quinquaginta Davidicos psalmos recitare, sic christiani centum & quinquaginta vicibus orationem dominicam consueverunt persolvere, quae recitationis continuatio psalterium Christi, sicut ALANVS corpus in sua apologia refert, dicebatur: deinde coeptum fuit totidem angelicas salutationes recitare, quod &

psalte-

(a) lib. V. de rerum inventor. c. 9.

(b) observante Sam. Marefio in apolog. pro S. M. V. lib. II. cap. 12. p. 323. sq.

(c) H. E. lib. II. c. 36. p. m. 681. sq. Pallad. in Lausiac. c. 23.

(d) loc. cit. p. 291.

psalterium virginis vocabatur; hinc ad memoriae adiumentum, pro hoc numero praefixo, utebantur huiusmodi globulis, qui, ut idem ALANVS refert, tempore venerabilis BEDAE, erant in Angliae ecclesiis ad publicum usum appensi. Negat praeterea Petri Eremitae hanc esse inventionem, pro calculandis precibus. Multa quidem dicit MACER ex ALANO COPO, sed ea non probat, nec ex antiquitate omni probare poterit. Vnum enim inflar omnium adducam testimonium, quod a Macro reiici nequit. Est illud III V. Pontificis Romani, qui in bulla, cui initium est, *consueverunt*, data Romae anno MDLXIX. d. X. Septembris, ita scripsit: *B. Dominicus spiritu sancto, ut pie creditur, afflatus, occasione, qua Albingensium haeresis per partes Galliarum & Italiae misere grassabatur, & iam multos excoecaverat saeculares, ut in domini sacerdotes & clericos saevissime furerent, levans in coelum oculos, & mentem illum gloriosae virginis Mariae, almae Dei genitricis, respiciens: admodum facilem & omnibus pervium, & admodum pium orandi & precandi Deum, refarium seu psalterium eiusdem B. Virginis nuncupatum, quo eadem beatissima Virgo salutatione angelica centies & quinquagies, ad numerum Davidici psalterii repetita, & oratione dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus, totam D. N. Iesu Christi vitam demonstrantibus interposita venerantur, excogitavit, & excogitatum per sanctae Rom. ecclesiae partes prorogavit.* Plura in hac recensione historica non addo, qui ea autem desiderat, adeat MARESIUM (a) & VOETIVM. (b) Alia quidem adhuc restarent, quae ex antiquitate ecclesiastica produci possent; cum vero praeter spem quibusdam momenti diutius inhaeserim, illa nunc sepono & ad sectionem dogmaticam progredior.

(a) loc. cit. p. 322. sqq.

(b) dispur. select. part. III, p. 1017. seqq. & 1023. seqq.

SECTIO DOGMATICA.

§. I.

Nunc porro ad ipsius orationis dominicae meditationem propius accedamus, singula illius verba, quanta possumus brevitate examinando pensitandoque. Magna namque est in brevitate orationis huius amplitudo, ac grave doctrinae verae iudaeorum corruptae plane adversae, pondus atque momentum, ut omnium precum principem *ἐπινοητῶν καὶ ἡγεμονικωτάτων* comprehendat: *Quid mirum, inquit CYPRIANVS, (a) fratres dilectissimi, si oratio talis est, quam Deus docuit, de magisterio suo omnem pacem nostram salvari sermone brevavit? Hoc iam per Esaiam prophetam fuerat ante praedictum, cum plenus Spiritu S. de Dei maiestate ac pietate loqueretur Es. X. v. 23. Verbum consummans, inquit, & brevians iniustitia; quoniam sermonem brevium faciet Deus in toto orbe terrae. Nam cum Dei sermo, Dominus noster Iesus Christus omnibus venerit & colligens doctos pariter & indoctos, omni sexui atque aetati praecepta salutis ediderit: praeceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina coelesti discipulorum memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret. Idem vult TERTULLIANVS: (b) brevitatis ista magnae ac beatae interpretationis substantia fulta est: quantumque substringitur verbis tantum diffunditur sensibus. Neque enim propria tantum orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem, sed omnem pene sermonem domini, omnem commemorationem disciplinae, ut revera in oratione breviarium totius evangelii comprehendatur. Verba si sola spectemus humiliter videtur & facilis oratio dominica, si introspeciamus, sublimia continet: in cortice simplex est, sed intus mysteriis plena. Et sicut arbor illa fertilis dicitur, quae sub quolibet folio fructum tegit, & in hac oratione nullum folium, nullum verbum est superfluum, quodlibet habet pondus suum & fructum suum. Id quod clarius illustrare brevibus conamur.*

πᾶτες

(a) lib. de or. dom. p. m. 316.

(b) lib. de or. dom. p. m. 128.

Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς ἑρανοῖς.

§. II. In tres vulgo partes solet haec dispesci oratio (I) prologum (II) petitiones septem (III) epilogum doxologicum, ac in singulis tam subiecti quam praedicati habenda erit ratio. Initio Deum compellamus sub *prima*, *notissima* omniumque *benignissima* relatione patris, quod vocabulum *πατρός* esse, scripturarum atque ecclesiastico stylo constat. Cum autem Deum filius nos dicere iubeat patrem, aperte primam deitatis personam intelligit, eum videlicet, qui, uti Christi pater est, ita & in Christo & propter Christum noster. Sed orthodoxe satis vox *θεωδῶς* accipitur, cum rite pater invocari nequeat, absque invocatione filii & Spiritus S, *διὰ τὸ ἐμοῦσιον καὶ ἐμάτιμον*. Ita ut singulae trinitatis personae in suis erga ecclesiam officiis & beneficiis proponantur & sub compellatione patris comprehendantur. In *patre*, ait TERTULLIANUS, (a) *filius invocatur*. *Ego enim*, inquit, *& pater unum sumus*. Atque adeo in oeconomia gratiae pater nobis proponitur, uti, qui ἐξοχῆν ac maiestatem deitatis tuetur, primusque beneficiorum salutarium auctor datorque est, ideoque precibus nostris compellendus. Filius, uti qui meritis suis atque intercessione molles nobis apud patrem aditus facit, & commoda fandi tempora. Spiritus S, uti qui preces ac suspiria intus praeformat. (b) Nec iudiciosis subscribere dubitamus, qui Christum ideo discipulos auditoresque Deum vocare patrem docuisse serio contendunt, ut doctrinam & mysterium adoptionis, quam soli iudaei tenere gloriabantur, ipsis inculcarent & manifestaret, qua in sententia iuisse videtur TERTULLIANVS: (c) *Nomen*, inquit, *Dei patris nemini proditum fuerat, etiam qui de ipso interrogaverat Moyses, aliud quidem nomen audierat. Nobis revelatum est in filio. Iam enim filius novum patris nomen est. Et apertius nomen*

unum

(a) lib. de or. dom. p. m. 128. (b) Confer. Herm. Wittsi Exercitat. VII, de or. dom. p. 103. 6. 10h. Hoornbeck, theol. Pract. c. XVI, pag. 316.
(c) lib. de or. dom. p. m. 128.

uum manifestavi hominibus. Apertum itaque hic discrimen inter fervilem iudaeorum, Mosaicis statutis oneratorum ac subiugatorum, & liberam christianorum filiorum conditionem. Unde leges & fidei, iudaismi & christianismi, tenebrarum & lucis, servitutis ac libertatis, peccati & gratiae, Mosis & Christi, oppositio manifesta & perennis. Dulcissimum hoc argumentum omnis doctrinae Christi & apostolorum. Iohannes ev. cap. I. *Quotquot, inquit, susceperunt eum, illis dedit ius ut filii Dei (pro servis pristinis) fierent, illis nempe, qui in nomen eius (non Mosis, non iudaismi) credunt. Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo geniti.* Qui non confiderent caruali propagationi aut generi ex Abrahamo, qui non iactarent iustitiam ex iudaismo, quia iudaei, quia Abrahamitici generis; sed qui citra supersticiosam iactantiam de Abrahamitico sanguine, quippe qui non nisi a carne & voluptate parentis, matrum & patrum, citra divinitatis sensum dependeat, aliam plane, divinam, iam referrent mentem atque indolem, regeniti, novi. Tota epistola Pauli ad Galatas hanc, *iudaismi & Christianismi, legis & Christi, servorum & filiorum*, contrariam conditionem luculentissime descripsit. *Illi, inquit, servi, hi filii, illi in metu & terrore perpetuo, hi in fiducia & tranquilla conscientia.* Idem longa serie agit epistola ad hebraeos, *Mosen servum* e domo mittendum, *Christum, filium, haeredem*, fuse demonstrans. Huc tendunt epistolae ad Romanos, Corinthios ceteraque. In omnibus *iudaismi & christianismi plane contraria effigies.* Et peculiariter quidem hic in compellatione patris, quae iudaeis amplius non favet, sed perstringit, cum iudaismo non conspirat, sed repugnat, teste CYPRIANO: (a) *Pater noster, id est, eorum qui credunt; eorum qui per eum sanctificati, & gratiae spiritualis nativitate reparati, filii Dei, esse coeperunt. Quae vox iudaeos etiam perstringit & percutit, qui Christum sibi per prophetas annuntiatum, & ad se prius missum, non tantum infideliter spreverunt, sed & crudeliter necaverunt. Qui iam non possunt patrem Deum vocare, cum dominus eos confundat & redarguat, dicens: Vos de diabolo patre nati*

(a) de or. dom. p. m. 311.

nati estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas non est in illo. Et per Esaiam prophetam Deus clamat indignans: Filios generavi & exaltavi, ipsi autem me spreverunt. Agnovit bos possessorem suum & asinus praesepe domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus me non intellexit. Vae genti peccatrici, populo pleno peccatis. Semen nequam, filii scelesti, dereliquistis dominum & in indagationem misistis illum sanctum Israel. Quandoquidem ergo primus hic ac praecipuus est totius christianismi sensus, cognitionis christianae lumen fulgidissimum, hoc Dei caractere, quo patrem compellamus nostrum, brevissimo arctissimoque complexu univrsae comprehenduntur V. T. promissiones, de vera Dei cognitione, tempore Messiae patefacienda, qui Deum vivum sint agnitori, futuri Deo proximi. Quales omnes, de alia illustriori atque in V. T. apud Iudaeos Dei cognitione pollicitationes, rudis & scelerati, superstitiosi & irreligiosi iudaismi finem oblique connotant. Timor ergo servilis quondam in iudaismo (unde Deum non fiducia & amoris amabili patris; sed generali, a regimine humano defuncto, caractere compellarunt, utpote מלך regis, מלך regis maximi: ה' אלהים vel אלהים indicis & gubernatoris ceterisque similibus) amor & fiducia filialis in christianismo. אהבה Amoris quidem divini facta mentio a Mose haud infrequenter: Diliges Deum tuum ex toto corde, tota anima, omnibus viribus, & proximum sicut te ipsum. Voluit Deus ita se amaris, optavit hoc Moses, verum servilis timor praevaleuit. Imbecillitas, temporum non concessit, quod olim aliquando Messiae aevo esset implendum ac praestandum, teste Paulo, luculento, fati inter Iudaeos miseri interprete. Nec adeo novam quoad substantiam, Christus dedit amoris legem, sed a Mose iam olim datam; a Iudaeis vero non observatam & praestitam, Christus revocavit, renovavit, ac suo iam tandem vigori suoque usui destinavit.

§. III. Porro ut Christus magis distingueret christianorum, filiorum Dei, animum a Iudaeorum pravorum affectu,

M

illud

illud in orationis exordio magis patescit discrimen: addita determinatione *pater noster, qui es in coelis*. Non, quod per se fuisset necessarium, Deo dare locum, aut coelo claudere, neque enim coeli coelorum ipsum comprehendunt; sed, quod partim sublimitas potentiae & maiestatis ac perfectionis divinae, respectu maximorum ac eminentium in terris regum vividius atque significantius exprimi non posset, partim, quod appellatio *אבין* *pater noster*, communissime & ordinarie inter Iudæos referretur ab Abrahamum, ut supra iam monitum. Pro iudaismo igitur declinando, & vano Iudæorum iactantia, carnalique iustitia reiicienda, pro meliori christianorum sententia pectorisque affectione in precibus explicanda, dici voluit Christus, *pater noster, qui es in coelis*. Apparet, prophetam Es. LXIII. 16. & LXIV. 8. iam illa aetate Iudæorum vanam ambitionem & iactantiam damnasse, qui Abrahamum patrem, *patrem suum*, temere clamarent, pro merito quodam venditando, quasi Deus obligatus ad servandos in exilio Iudæos, immorigeros licet & præfractos. *Tu, inquit, Deus, es pater noster, Abraham enim nos non novit & Israel nos non agnoscit* h. e. Vana est nostra iactantia de Iacobi genere, quasi propter Abrahamum & Iacobum Deus servare teneatur & exilium vel interfectionem avertere, cum nil minus quam Abrahami & Iacobi fidem geniumque referamus. Vt in V. ita similiter in N. T. Christus vanam ac insanam Iudæorum gloriolam de patre Abrahamo pluribus ac clarius exire iussit Ioh. VIII. Planam autem & claram in amore Dei eoque vero ac puro fundatam christianorum gloriationem de patre coelesti commendavit illorumque iactantiae e diametro opposuit instituendo: cum oratis dicite, *pater noster, qui es in coelis*.

§. IV. Sic patefacta iudaismi & christianismi toto coelo differentia, salutaria inde nonnulla proveniunt momenta: (I) *praerogativa christianorum*. Hanc ipse agnovit CHRYSOSTOMVS: (a) *patrem quippe dicendo, inquit, & veniam peccato-*

r1177

(a) Hom, XX, de O, D, in Matth, c VI,

rum & poenarum interitum, & iustificacionem & sanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem, & haereditatem Dei, & fraternitatem cum unigenito copulatam, & sancti spiritus dona largissima uno sermone signavit. Impossibile est enim Deum patrem vocari ab eo, qui non omnia haec bona fuerit consecutus. Duplici igitur modo eorum animos accendit ex ejus scilicet, quem patrem nominant, divinitate & magnitudine beneficiorum, quibus ipso donante potiuntur. (2) Sanctioris & christianismo dignae vitae commendatio. Meminisse itaque, inquit, CYPRIANVS, (a) fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus: ut quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis, ut Deum in nobis confiteri habitare. Nec sit degener actus noster a spiritu, ut qui coelestes & spirituales esse coepimus, non nisi spiritualia & coelestia cogitemus & agamus, quia & ipse dominus Deus dixit. Eos, qui clarificabunt me, clarificabo: & qui me spernit, spernetur. Beatus quoque apostolus in epistola sua posuit, non estis vestri, empti enim estis pretio magno: clarificate & portate Deum in corpore vestro; & AVGVSTINVS: (b) Invenimus patrem in coelis, attendamus quemadmodum vivamus in terris. Sic enim debet vivere, qui invenit talem patrem, ut dignus sit venire ad eius haereditatem.

Ἀγιαθῆτω τὸ ὄνομά σου.

§. V. Primum iure meritoque inter petitiones sibi vendicat locum hæc de nomine Dei sanctificando. Digna prorsus eò, inquit, CHRYSOSTOMVS, (c) qui Deum patrem appellavit, oratio nihil omnino prius quam pro illius gloria supplicare; omnia vero reliqua secundo loco ducere infraque laudes eius numerare. Ceterum necessum non est, circa nomen Dei multa subtiliter philosophari. Mosi namque ac prophetis percelebre ac percarum קדשׁ שׁם sanctum nomen Dei; pro veteri stylo, est venerabilis cognitio de Deo, gratia, potentia & iustitia. Hoc quippe nomen, quod de Deo relatum & acceptum, cum ex maioribus, tum ex singulari eventu & sublimi eius regi-

M 2

mine,

(a) lib. de O, D, p. 311. (b) Hom. XLII, p. 111, 112. (c) Hom. XX, l. c.

mine, prout erga bonos benignus, erga malos severus, qui protegat & ornet bonos, plectat & perdat malos. *Sanctum* audit hoc aut *venerabile* Dei nomen, sive de Deo eiusque voluntate & potentia publicum nuncium, ubi verum agnoscitur, fide apprehenditur, ubi cum gaudio celebratur, ubi a Deo expectatur id, quod de eo singulariter cognitum, quod peculiariter promissit, pro servandis bonis & plectendis malis. Inter cognomina namque Dei locum tenet in scripturis קדוש *sanctus*, quo significatur ipsum sanctiorem esse & sublimiorem, quam ut proprietas aliqua creaturarum ei adæquare possit, & si illis appelletur, id fieri per translationem seu metaphoricè. Ideo audit *Esaias* in numeris vicibus ingeminari קדוש קדוש קדוש, *sanctus, sanctus, sanctus*. *Es. VI. 3.* Vnde קדוש *sanctitas, sanctum*, veterum etiam iudicio idem ac singulare plane, admirabile, inlolutum, peculiare, non commune aut vulgare, præclarum, illustre. קדוש sanctificare h. e. insigne, peculiare, præclarum, singulare, excellens habere, æstimare, venerari, segregare, separare, tanquam eximium. נקדש התקדש, sanctificari, & agnoscì, haberi, celebrari pro præclaro, velut recto, vero, bono, iusto, potente, magno. Sicut שם קדושו *profanare nomen Dei sanctum*, est negare, temnere illam singularem Dei potentiam, iustitiam vel gratiam, nec confidere promissis ac revereri eius vindicem manum; quin contra niti, si non convitiari ac vanitatis accusare. Hoc sensu huc respicit *David Ps. CV. 3. Celebrate sanctum eius nomen Levit. XXII. v. 31. 32. Observabitis præcepta mea eaque præstabitis: Ego Deus opt. maximus neque profanabitis nomen meum sanctum; sed sanctus vel magnus haberi volo inter Israelitas Ps. CXI. 9. Deus liberat populum suum, servat perpetuo foedus suum, קדוש ויבֹרָא שמו, sanctum, illustre & venerabile nomen eius.* Atque ita *Mosis & prophetarum ore* nomen Dei sanctificatur, ubi agnoscitur Dei singularis gratia, & magna potentia a maioribus celebrata, ubi gratiæ eius confiditur, ubi potens illius auxilium expectatur, ubi vindicta eius metuitur, ubi pro illa Dei reverentia præcepta eius observantur, pro fide & timore, iuxta verbum & famam in *Israele* de Dei

de Dei maiestate decantatam. Voluit igitur Christus christianos in precibus suis hanc suam ante omnia erga Deum testari devotionem, qui impense cupiant ab omnibus ubique in orbe nomen Dei sanctificari, & ad agnitionem veritatis omnes pervenire. Phrasi quidem usus Christus V. T. ubi *Dei nomen* generali ambitu & gratiam & iustitiam vindicativam comprehendit, undique mille exemplis cognitam & demonstratam. Verum sicut peculiari *patris* caractere ornaverit christianismum, ita & peculiariter τὸ ὄνομα, illud ipsum, iam in compellatione memoratum *nomen patris coelestis* sanctificari vult & optat. Quod est desiderium illustrandi peculiariter per totum orbem, pro christianismi indole, dulcissimi in Deo nominis novi, *patris*, idque idem ac votum, explicandæ per totum mundum novæ divinæ in Christo gratiæ & benignitatis coelestis, ut discant omnes agnoscere *patrem*, invocare *patrem*, non servili, sed filiali in Deum affectu. Pronominis igitur *tuum*, nomen *tuum*, determinatio, non solum distinguit christianismum a paganismo; sed & præcipue a iudaismo, ubi iustitiæ divinæ vindicativæ metus plerosque, ob peccatorum malitiam, terribili percelleret divini nominis memoria: In christianismo vero peculiare & novum coelestis patris nomen a filiis celebrandum & extollendum, quod est sanctum habere & cum gaudio colere. Iudæi quidem ante adventum Christi in suis orationibus, in hunc diem nomen Dei sanctum & sanctificandum יְהוָה, celebrabant & celebrant: Verum non nisi timoris & tremoris sensu, in immedicabilibus conscientiae vulneribus, pro servorum in iudaismo indole. Sicut ergo re vera patris coelestis nomen Iudæis, nativo suo supra exposito sensu, fuit incognitum, quod non nisi in christianismo patefactum; ita & sanctificatio illius paterni nominis servis illis prorsus ignota, nec nisi in christianismo cognoscenda. Christus namque *iudæos* sanctum *paternum Dei nomen* ignorasse nec admisisse, dilucide pronuntiavit Ioh. XVII, 6. *Pater, patefeci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo* v. 11. *Pater sancte, serva eos per nomen tuum*, pro paterna tua in filios propensione, pro evangelii nuncio, pro

exuberanti promissa gratia. Et v. 25. 26. *Pater iuste, mundus, Iudæorum, te non agnoscit: Ego vero te novi, & hi noverunt, quod tu me miseris, & notum feci eis nomen tuum paternum, & porro notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in eis sit & ego in eis.* Quæ sanctificati nominis divini anima est ut eiusdem indolis sint christiani, cum patre filii, Ioh. XVII. v. 17. 18. 19. Hæc autem divini paterni nominis sanctificatio, aut per totum orbem concelebratio, luculentissimas copiosas comprehendit V. T. promissiones de nomine divino tempore Messiae olim inter omnes gentes honorando ac celebrando, gentibusve ad agnitionem divinæ veritatis perducendis. Pf. CII. 16. *ut reverentur gentes nomen Dei, & omnes gentes terræ gloriam tuam* Pf. CXVII. *Laudate Dominum omnes gentes, celebrate eum omnes populi: Magna enim illius erga nos gratia, & veritas Dei æterna: Laudate Dominum,* Pf. XVIII. v. 50. *Te celebrabo, Domine, inter gentes & nomen tuum exrollam.* Quæ clara atque perspicua sunt indicia, exteras quoque gentes in communionem filiorum Dei adeoque nominis paterni sanctificationem esse vocandas. Quando enim Iudæi servi erant peccati, nec ingenui aut liberi, cum solus Christus a peccati servitute liberaret & filios redderet, patrem non habebant coelestem, nec sensu eius affici poterant, ipsiusque salvatoris ore. Tantoque fortius profanæ Iudæorum arrogantia apposita hæc divini nominis quæsitæ sanctificatio, quanto apertius Christus iudaismum accusavit, *qui non Dei, sed suam quaerent gloriam, non Dei, sed suum honorem,* in avito genere Abrahami constitutum. De cetero, uti *patris* character *haereditatis* paternæ in *filiis* est pignus, & argumentum vitæ ac *immortalitatis* æternæve *beatitudinis*: ita sanctificatio nominis illis paterni, est, non solum agnitionis affectionis paternæ in filios, & devotionis filialis erga patrem, realis & viva apud filios contestatio, sed & *haereditatis* ex patre *communio* agnita & cum gaudio apprehensa. Quo pacto *sanctificare nomen patris coelestis* est, patrem agnoscere & filiali obsequio venerari, bonis ac iuribus paternis frui, deque illorum usu gaudere, vitam æternam, immortalitatem ac beatitudinem sibi vindicare.

vindicare: Quin & publica ac intrepida tantorum bonorum professione, novæ christianæ rei, sive paterni nominis gloriam extollere, ut tantorum beneficiorum ac iurium præstantia agnosceretur ac celebraretur ab omnibus: ut alii quique in toto orbe ad tantorum bonorum communionem invitentur ac perducantur.

§. VI. Reliquum hic forsitan meditandi disquirendique esset de eo locus, an verba: *sanctificetur nomen tuum*, doxologiam saltem, an vero petitionem contineant? Cum autem nuperrime hoc argumentum a celeberrimo WERNSDORFIO in vindiciis supra laudatis explicatum, repetere illud nefas duxi. Vnde nihil restat, quam brevibus suppeditare usum in hac petitione latentem: *Christianis vitam esse vivendam sanctam: Luceat, inquit CHRYSOSTOMVS (a) ex ore Christi, lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum, qui in coelis est -- Quod rursus philosophiæ perfectæ est, iam irreprehensibilem omnibus exhibere vitam, ut eam singuli quique mirantes, dominum de servorum sanctitate collaudent.* Idem suadet Paulus Eph. IV. 1. 2. seq.

ΕΛΘέτω ἡ βασιλεία σου.

§. VII. Priusquam ad specialiolem petitionis huius meditationem accedamus, obiter notamus, quod Tertullianus eam collocaet post sequentem tertiam: fiat voluntas tua, non observato ordine, quem evangelistæ tenent. Verum optime, post sanctificationem nominis Dei, regni iniicitur mentio. Nam ex paterno isthoc novo divino nomine, eoque sancte a filiis agnito & filiali observantia in orbe celebrata, sponte sequitur paternum divinum regnum sive christianum. Quod ut maturetur & adveniat, rogare patrem iussit Christus. מלכותו suetum prophetis vocabulum, ex israelitici regni analogia desumptum, apud illos audit nova divina hominum gubernatio: *Rex vel Messias, unctus, dominus, ipse orbis salvator: Israel, gens vel ecclesia christiana ex Iudæis & gentibus collecta, fideles: legis loco, clarior evangelii doctrina.*

(a) Hom. XX. 1. c.

doctrina. *Hoftes*, peccatum, mors, satanas: *Victoria*, liberatio a peccato, morte & satana. Et quæ his familia. Quo sensu omnes prophetæ palam edixerunt, israeliticam gentem proprie ita dictam, ob profanam suam indolem ac contumaciam, a Deo iri abiectum, ut omnis eorum externa res nihil sit. Refuscitandum vero eius loco, velut in novo orbe, *alium Israellem*, alium Dei populum, cui non sit intractabile cor, durum, lapideum, pertinax, sed molle & obsequiosum: *Aliud regnum*, aliamve regiminis formam, veteri iudaicæ dissimilem. In veteri orbe, iudaismo aequæ ac paganismo, regnasse seu praevaluisse ignorantiam, pertinaciam, malitiam, nunc veram Dei cognitionem, fidem ac virtutem superaturas: *Alium regem*, a prioribus israelitarum ac iudaeorum regibus diversum, qui non ferro sed verbo gubernet, qui peccati in homines imperium, mortis in homines tyrannidem, satanae in homines insidias & machinas debellet, Deique filios faciat, omnibus illis superiores. Regnum itaque istud prænunciatum, non iudaicum sive humanum, corruptum, superstitiosum, sceleratum; sed divinum, sed coeleste, in quo *veritas & iustitia* imperium teneant ac prævaleant, quam cives exercent, τὸ Θεῷ τὸ ἕγενν βασιλεία. Pronomen vero, *tuum*, speciatim ad superiorem refertur *patris coelestis* compellationem, & ad proximam *paterni nominis* celebrationem sive agnitionem: Regnum desiderari divinum idque *paternum*, ubi *pater filiis* imperet gratiosissimus, non severus servorum iudex, ubi filii obtemperent ingenui & obsequentes, non servi repugnent rebelles & contumaces: ubi non timor & pavor ex vulnērata conscientia extinguant; sed fiducia & gaudium ex sereno animo vitam polliceantur. Est proinde & hic *patris coelestis regnum* in christianismo, regno oppositum iudaico, terreno & servili. Quae dilucidior iudaismi ac christianismi oppositio per totum N. T. illustrata. Iudæos sub legum & externorum rituum mole atque intolerabili onere peccatis deditos, peccatorum adeoque mortis fuisse servos & mancipia: christianos, sub fide Christi a peccatorum iugo liberos, mortis esse per Christum dominos, filios

filios & haeredes, qui non metuant & expavescant iudicis fulmina, sed ex fide & virtute patri suo grati sint & accepti. Pecaminosum illud iudaeorum regnum fuisse temerarium, mox per romanos extinguendum, ut servi in domo non maneant perpetuo, sed suo tempore emigrent, hoc autem patris & filiorum fore aeternum, haereditarium mortis & interitus experts. Novum hoc *patris & filiorum* regnum, ut nihil commune habet cum veteri iudaico regno, herili & servili, nec ratione peccati, nec mortis, quibus isti erant mancipati, ita nec ratione generis. In illo quidem *solum iuxta carnem Israël*, hic omnes ex toto orbe, cuiuscunque generis & ordinis fideles, ex gentibus aequae ac iudaicis. Ibi Palaestina regni sedes, hic totus orbis regno patris coelestis sacer, ubique filii Dei. Tanta differentia regni huius divini, paterni, coelestis & alterius iudaici, terrestris. Inter iudaeos caro regnat & carnis fructus, in superstitione, arrogantia & sceleribus, sub metu mortis: Hic spiritus eiusque fructus, in fide & veritate, in certa vitae expectatione regnant. Isti ergo characteres ac determinationes regnum *Dei*, regnum *coeli*, regnum *patris*, veteri repugnant rei carnali, corporali & exitiosae, iudaicamque superstitionem ac persuasionem plane evertunt. Hoc *fidei, spiritus, virtutis, vitae, regnum*, longas atque innumeras vehit *prophetarum* de novo hoc regno in Messia suscitando promissiones. Haec sublimiori stylo, a veteri visibili iudaico regno desumpto, novum, non terrenum sed coeleste, non humanum sed divinum, non herile sed paternum, non carnale sed spirituale, non mortale sed incorruptibile & aeternum, luculentissime sponponderant. Haec dulcissimarum promissionum vis in prophetis de novo regno eoque divino, spirituali & aeterno suscitando, iudaica, carnali & vitiosa republica repudiata PG. II. Mich. IV. 1--7. Zeph. III.

§. VIII. Hoc igitur paternum coeli regnum petitur, ut veniat. Tametsi enim initia illius iam Christi & apostolorum existerent aetate, tenuia tamen illa, pro seculi & aevorum ratione, ubi iudaismi adhuc externa vis magna, quae vehe-

N

menter,

menter, Christo & apostolis repugnaret, quae pro sua imperitia sed & virulentia tantam divinam gratiam plane extinctum iret. Qua de in regnum Dei iniuria iudaica conquestus millies Christus Iudaeis, ea propter proximum minatus exitium. *At tempore Iohannis*, inquit, regnum Dei Iudaeis fuit annunciatum, sed illi *πιστοι ἀπὸ τῶν εὐαγγέλιων, violenti invasores, diripiunt, distrabunt ac lacerant illud.* Omnis evangelica historia testis de iudaicis in illud Christi regnum persecutionibus. Lentus ergo gradus regni emergentis. Ipsique Iudaei non solum autorem gloriae aut regni huius gloriosi, autorem vitae, malitiose extinxerunt, sed & apostolos postmodum per totum imperium romanum inhibuerunt, ne hoc Dei regnum annunciarent. *Tenacissima* haec impedimenta, ex Iudaeorum potissimum virulentia, ubetiori regni progressui & usui obstiterunt. Maxime cum pseudodoctores iudaici generis, mille artibus & insidiis, cuniculis fraudulentis & cruentis, obicem ponerent, testibus omnibus epistolis una cum apostolorum actis. Praeterea, cum regnum Dei non intra Iudaeorum fines consistere deberet, sed per omnes gentium limites extendendum, pro omnium salute, hoc brevi non erat futurum. Iudaeorum & gentium in unum patris regnum aggregatio lenta actarda. Ut paucitatem converforum taceam, malis ubique praevalentibus. Optandum ergo ac desiderandum erat, ut *veniret*. Dum orbis est, ingemiscendum continuo & obsecrandum, *veniat, veniat*, & ad liberiores usum perveniat paternum hoc inter homines regnum. Quippe dum constat, non solum quondam Iudaeos Christo & apostolis restitisse, sed & usque ad orbis finem malorum turbam repugnaturam, libero regni & christianae virtutis usui. Inchoatur hic in terris regnum, in aeternitate consummandum. Vti nobis precamur, ut ad nos deveniat regni usus & fructus, ita & orbi universo idem precari iussi. Votum est, emendari omnes & ad agnitionem veritatis venire, ipsam quoque durae cervicis ac lapidei cordis gentem iudaicam, utpote cui praeclara sperandae ac futurae conversionis & ad regnum Christi collectionis ex Mosis, prophetarum ac Christi

ore

ore vaticinia ac promissa detegit & illustravit cl. WAGENSEIL: (a) omnibus sine discrimine contingere vitam, conscientiae serenitatem, libertatem a dominio peccati & mortis, ut omnibus sic bene, cum hic, tum olim in omnem aeternitatem. Quod regnum patris iam inchoatum, hoc Messiae regnum, diversum penitus a desiderato Iudaeis Messiae regno. Quamquam enim ex veteris propheticae promissionis tenore agnovissent, novi, tempore Messiae, regni praestantiam ac beatitudinem, adeo ut formulis etiam iisdem uterentur in precibus, ut hodiernum utuntur, qui regnum Dei adventare optarent & optent, abusus tamen magis erat & est verborum, ut in plerisque aliis, quam usus. Vera habent, sed veram mentem, sensum, usum & fructum non habent. Umbram, non corpus habent, carnem, non spiritum, qui externi inter Iudaeos regni pompam expectarent. Vnde cum divinum illud a prophetis indictum adesset regnum, cum Messiam haberent in oculis, non viderunt, oppugnarunt, extinguere conati. Quod igitur ante adventum Christi iudaeorum vulgus expectabat Messiae regnum, nullum erat, nulla promissione vel spe nixum. Verbis uti similibus, sensu diversissimo. Quamobrem Christus iudaicam rem eorumque de regno suo somnium tenebras appellat & carnem. Nihil adeo commercii Iudaeis cum regno patris, quem ignorarent, cum filium negarent. Alium expectarunt, cum illum, qui iam erat, respuerent. Tenebras amarunt, inquit Iohannes, prae luce, quae clarissime illis allucebat. Quo pacto diversum prorsus regnum Messiae & Dei, sensu plane contrario a iudaeis & christianis ipsoque Christo & apostolis desideratum, quorum utriusque rogabant & rogant quotidie, venire regnum Dei. Sub iisdem verbis apud Iudaeos & Christum, de regno Dei adventuro, mens ac sententia, toto coelo alia & prorsus inter se pugnans. Adeo, ut Iudaei sui illius Dei regno regnum Dei verum extinguerent. Idcirco, quando Christus

N 2 orare

(a) Benachrichtigungen wegen einiger die Indenschaafft angehenden wüschtigen Sachen erster Theil, v. v. v. Die Hoffnung der Erlösung Israels &c. Confer. Herm. Wittilius l. c. p. 150.

orare iubet, *adveniat, pater, regnum tuum*, iudaicae opinioni & spei, iudaico regno, hoc directe adversum. Quippe quod hoc patris regno liberandi fideles a peccati & mortis imperio in iudaismo vel iudaico regno florente. Quam iudaici & christiani regni pugnam, velut *mortis & vitae*, servitutis ac libertatis, carnis & spiritus, Paulus in utraque epistola ad Romanos & Galatas divino spiritu nervosissime profectus, pro veritatis luce & fidelium salute.

§. IX. Nunc ergo ad ea progredimur momenta, quae attenta petitionis huius meditatio ingenerare animis nostris debet: *Christianam* scil. *dignitatem atque excellentiam*. In alio namque regno nil nisi servitus dura atque molesta, hic subditi omnes non modo liberi sunt, sed ad sacerdotium, imo, principum regumque dignitatem vocati. *Regale sacerdotium*. 1. Pet. II. 9. Iesus Christus, *princeps regum terrae, fecit nos reges & sacerdotes, Deo & patri suo*. Ap. I. 5. 6. Reges inquam, qui praediti רוח כריבה spiritu in genuitatis Ps. LI. 14. רוח יתירה spiritu excellenti. Dan. V. 12. VI. 4. & sanctae cuiusdam φιλοτιμίας generosis stimulis agitati, heroico ausu praestare ceteris hominibus nituntur. Prov. XII. 25. tantumque iis praecellere opibus mysticae sapientiae, decore spiritualis gratiae, eminentia virtutum christianarum, quantum reges antecellunt suos subiectos. (a) Quanta quanta enim eorum praerogativa & felicitas, tanta quoque debet esse opera, ut in hoc regno gratiae regnum gloriae adflectant & Paulus per singulos desiderabat dies proptereaque dicebat: Et ipsi primicias spiritus habentes & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri. Qui enim isto amore succenditur, neque vitae huius commodis instatur, neque humiliatur adversi, sed tanquam in ipso iam coelo habitans utrimque huius inaequalitatis immunis est.

Terro.

(a) Confer, Herm. Wittfii Exercitat. IX, l. c. §. XLII. p. 159.



Γενθήτω τὸ θέλημά σου ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ
ἐπὶ τῆς γῆς.

§. X. Optima gaudet haec petitio cum antecedenti connexionione. *Videsne, inquit CHRYSOSTOMVS l. c. optimam consequentiam? Nam cum desiderium imperaverit futurorum, atque ad perfectionem illam nos iusserit semper urgeri, quamdiu tamen illuc non pergamus, etiam hic degentes iubet conversationem cum coeli habitatoribus habere communem. Nam desiderari quidem convenit coelos, & ea, quae habentur in coelis: tamen & antequam superna illa praestetur habitatio, coelum quodammodo feri iussit e terra, ut simul tales sint etiam, dum in ea degunt, ita & omnia faciant, & loquantur, quasi qui prorsus converterentur in coelo. Admiranda itaque hic deprehenditur συζυγία Dei cum hominibus, coeli ac terrae, & sapientissimus petitionum ordo clarissime elucet, ac in his tribus prioribus canticum contineri angelorum, haud obscure patet. Idem fere eodemque modo dixerunt: Gloria Deo in excelsis, quod est, sanctificetur nomen Dei: Pax in terris adveniat, vel, uti Christus ipse dixit, appropinquavit regnum Dei. Beneplacitum in hominibus & erga homines, & ut Dei beneplacitum seu voluntatem quoque faciant homines. Divinum patrisve coelestis regnum, in filiorum fide & virtute positum, per se iam tum comprehendit, divinam voluntatem, quae inter homines in isto regno fiat: Cum ipsum Dei sit regnum, ut omnia recte gerantur, ex voluntate, nutu & sententia Dei: Verum sicuti sub compellatione Patris coelestis iam tum comprehensa nominis paterni sanctificatio iusta & digna, & nihilominus peculiariter desiderata: Et dein sub paterni nominis sanctificatione iam tum regnum patris contentum, & tamen distincte expetitum: Ita in regno patris, voluntas patris, a filiis praestanda, iam tum inclusa, attamen seorsim ac dilucidius exprimenda. Vnum enim ex altero velut fluit, quamvis re ipsa convenient, & in se quoad summam idem sint, ut, qui unum quaerit, quaerat & alterum, qui unum habet, habeat & reliqua. Pro affectuum teneritudine*

tum generatim, tum speciatim, rogare suavit aut indulget Christus, ut & desiderantis mens se explicaret rectius, & votorum vim expenderet plenius. *Voluntas* vero patris est, ut ea, quae paterni & divini regni sint, conficiantur. Quicquid ergo ad regnum patris spectat, voluntatem patris exponit & determinat. Voluntas autem, ὁσιωδὸς καὶ ἀπλοῦς considerata, in plures sive partes, sive essentias dividi nequit: Ἐνεργητικὸς καὶ θετικὸς accepta, diversos habet respectus, quae diversitas non diversas voluntatis divinae species constituit, sed diversos saltem considerandi modos, quo inde originem ducunt variae voluntatis divinae distinctiones. Hic vero *opposita* haec formula *iudaeorum arrogantiae*, qui ex sua voluntate & arbitrio regnum Dei vel Messiae aestimarent: Apud quos id unice valeret, quod legis, legis ac caeremoniarum esset, quae ubi foris se praestitisse viderentur, gratam se se Deo praestitisse rem opinarentur. Quae non Dei sed hominum, sed corruptorum Iudaeorum voluntas & fascinum. Sacrificare, sabbata celebrare, circumcidi, lavari, vestiri, iactata apud illos Dei voluntas: Quae si observassent, se omnia ex asse fecisse persuasi, de cetero sceleratissimi, omnium flagitiorum sordibus inquinati, Dei hostes. Ἐντέλλματα ἰσθαε ἀνθρώπων hominum praecepta sunt, inquit Paulus, non Dei voluntas. Vana illa & caduca, Dei voluntas aeterna. Res spiritus, non carnis, ut fatur AUGVSTINVS; (a) *Fiat voluntas, tua sicut in coelo ita & in terra. Accipimus praeceptum Dei, & placeat nobis, placeat menti nostrae. Condelector enim legi secundum interiorem hominem: tunc sit voluntas eius in coelo. Coelo enim comparatur spiritus noster, terrae autem caro nostra. Quid est ergo, fiat voluntas tua sicut in coelo ita & in terra? Ut quomodo menti nostrae placet tua iussio, sic ei consentiat caro nostra, & tollatur rixa illa de medio, quae describitur ab Apostolo. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Quando contra carnem concupiscit spiritus, iam facta est voluntas eius in coelo. Quando contra spiritum non concupiscit caro, iam facta est voluntas eius in terra.* Conficienda itaque voluntas patris omnem tollit

(a) Hom. XLII, p. m. 115.

tollit mosaicae iudaicaeve rei pompam, quam Deo esse inimicam omnes clamant prophetae, quod & Paulus ubique docet. *Hol. VI. 6. Gratiam, וְסֵמָךְ quam sibi mutuo exhibeant, וְסֵמָךְ volo, & non sacrificia, cognitionem Dei prae holocaustis. Quod totius pompae Mosaicae repudium, ex iudaica superstitione, qui iustitiam inde venarentur sibi temere arrogarent, divina illi opposita voluntate, de agnoscendo pro illis patre & Christo, ipse continuo exposuit Christus. Haec est vita aeterna, ut te patrem agnoscant, verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Agnoscere vero patrem, est patris agnoscere desideria ac voluntatem: Agnoscere vero, est deamare & prompte lubenterque exequi. Obedientia prae omnibus excellit sacrificiis, communi prophetarum ore. Atque haec in christianismo praestanda. Quae voluntas non hominis, non Moysis, sed Dei, non negotium externum, sed internum, sed pectoris, sed animi, sed conscientiae, sed fidei, sed spei, sed charitatis. Quam iudaismi & christianismi oppositionem, quoad illam mosaicarum & ceremoniarum molem, in qua illi iustitiam & salutem falso ponerent, cui in regno Christi voluntas patris propria ac nativa contra distincta, Paulus ore prophetarum expressit & luculenter depinxit, ut alibi centies, ita Rom. XII, 1, 2. Adhortor vos fratres per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra (non in aris sacrificia) hostiam vivam (non caesa illa brutorum corpora) sanctam Deo acceptam (cum hostiae illae cremandae coram Deo non sint sanctae nec illi placeant) rationalem cultum vestrum (cum Iudaeorum ille cultus circa brutorum corpora ratione & spiritu careat, Iudaeis interea nequissimis) & ne configuremini saeculo huic (iudaico quod in externo cultu iustitiam ponit, de cetero in flagitiorum fordibus se volutat (sed transformamini per renovationem mentis vestrae (cum regnum Dei, christianismus, in novo ponatur animo, ut Dei filios decet) ut probetis, τι τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, quae sit voluntas Dei, (quid velit Deus, qui externas illas nolit ceremonias cum scelerum impuritate) nempe τὸ ἀγαθόν, τὸ ἐυδοκίμον, καὶ εὐρέσιον, quicquid bonum, quicquid acceptum, quicquid integrum & sincerum aut perfectum, Quemadmodum iam haec oratio.*

orationis parte *de voluntate* patris implenda, vera regni Christi indoles significatur, in spiritu posita, ita iudaismum & ceremoniarum operumve iactatorum hypocrisis evertit funditus. Vt iudaeis & haec sit ex asse opposita. Pronomen *tua*, *voluntas tua*, pro oppositionis virtute & hic magnam vim habet, quae iactatam inter iudaeos Dei voluntatem de sacrificiis ceterisque ritibus pessundet. Patris voluntas est *charitas*, ut Deus est charitas. Patris voluntas est, ut filii se ut filios gerant morigeros, quod patrem vident agere & ipsi faciant. Quo addita fuit praestantiae ad dignitatis illustratio: *Vti in coelo ita & in terra*; Qualis voluntas est vere *divina*, optima, perfecta, coelo vel beatitudini summaeque integritati congrua, actionum puta spiritualium, *iustitiae & sanctitatis*. Quod est, ut fideles ad *imaginem Dei transformentur*, ut illud exequentur in terra, sive, dum hic sunt, quod in coelesti aut perfectissimo beatissimoque patre vident. Quae iterum rem iudaicam omnem dispungunt, quae id agit in circumcissione, in sabbato, in ara, domi, foris, quod Deus non agit, non vult in coelo, pro sua integritate, facit, quod non est Dei, non iustitiae non virtutis, sed terrae, sed hominum, sed carnis, sed in iustitiae & sceleris. Dei voluntas est nostri sanctimonia. Vti sanctus Deus est, & nos esse curemus. Benignus pater & misericors, filii similiter, Matth. V. 43-47. Quorsum faciunt longa benignissima prophetarum promissa de senioris olim vitae genere, Dei observantiore, quam in veteri, iuste abolendo, horrido, intractabili iudaismo. *Tollam eorum cor lapideum*, quales erant pro omine tabulae Mosis, quibus gloriati, flecti nescium, & *dabo illis cor carneum*, animum ad fidem & virtutem aptum atque pronum. Quo sensu ingenuae res christianae omnes, praestantissimae vere sublimi optimoque caractere τὸν ἐπιφανέστερον κοσμοῦ a Paulo solent insigniri, pro summa eorum dignitate atque excellentia effigianda Ephes. I. 3. 20. cap. II. 6. cap. VI. 12. Totius voti summa est ore Pauli Ephes. V. 1. *Esote imitatores Dei, ut filii dilecti*: Et Christi Matth. v. 48. *Esote integri, sicut pater vester, qui in coelis est, integer est.*
Ex

Ex his praemissis sequentem attendamus usum: *Nobis ne utiquam filiorum instar tenebrarum secundum carnem, sed potius filiorum lucis ad exemplum, secundum spiritum esse ambulandum voluntatem Dei exequenda.* Nolite, inquit CYPRIANVS, (a) diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo. Quia omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio saeculi, quae non est a patre; sed ex concupiscentia mundi, & mundus transibit & concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in aeternum, quomodo & Deus manet in aeternum. Qui in aeternum manere volumus, Dei, qui aeternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei est, quam Christus & fecit & docuit. Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniustitiam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo, quod pater est, timere, quod Deus est, Christo nihil omnino praepone; charitatis eius inseparabiliter adhaerere, cruci eius fortiter ac fidenter assistere; quando de eius nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur; in quaestione fiduciam, qua congregimur, in morte patientiam, qua coronamur. Hoc est cohaerere Christi esse velle, hoc est praecipitum Dei facere, hoc est voluntatem patris adimplere.

Τὸν ἀρτον ἡμῶν τὸν ἐπίσσιον δὸς ἡμῖν σήμερον.

§. XI. Nunc ad eam orationis dominicae petitionem descendimus, quae diversis admodum, qua veterum qua recentiorum interpretationibus, omni aevosuit agitata: quas hoc loco omnes recensere & examinando revocare instituti non fert ratio, cum nimirum alii dudum hoc fuerint defuncti munere, & hac in re legi merentur. (b) Nobis vero tantummodo evincere constitutum, hanc quoque petitionem *cum iudicium ne utiquam*
 ○ *facere;*

(a) de or. dom. p. m. 312.

(b) Herm. Wittsius l. c. Ioh. Hoornbeck l. c. Gottfr. Olcarius in Observationibus philologicis ad or. dom. Pet. III. & IV. Kortholt in peculiari dissert. & is, qui sub nomine Pezron latet, plurima patrum loca collegit, pluresque alii.

facere; sed ei e diametro oppositam a Christo esse. Ex paterna Dei in filios propensione, ex paterno nomine sancte & religiose habito, ex paterno regno, ex paterna voluntate a filiis præstita, sponte fluit præ ceteris animi dotibus, vitæque præsiidiis, *mentis tranquillitas circa res corporis*, quibus ad vitam transigendam vel lustandam indigemus. *Anxietas quippe circa hæc fidem ac in Deum spem vel turbat vel fugat; impatientiam, dolorem, avaritiam præsertim gignit, indeque animum sorte contentum, modestum, beneficum nescit.* Quandoquidem ergo homines, de rebus acquirendis solliciti, facile degenerant in omnis generis studia, christianæ integritati adversa, in artes, fraudes, insidias, curas mordentes, lites & cædes, de rerum terrenarum cura præcipue recte erat statuendum. Postquam Christus in oratione in Deo paternam in filios affectionem detexerat, & filialem in christianis fiduciam, in coelestem patrem positam, commendaverat, tacite reapse iam omnem inanem de rebus externis curam eliminaverat. Patris enim est prospicere filiis eorumque necessitati: Et filiorum est a patre expectare vitæ alimenta atque adiumenta. Neque adeo distinctincto hoc voto opus. Verum pro imbecillitate pectorum, ut in prioribus precibus, ita & hic, distincte illud exprimitur petiturque, quod potissimum in divina voluntate per vitam præstanda pro externo apparatu obvium. Pro commendanda igitur filiali hac in Deum fiducia, & dulci per vitam animi tranquillitate, optimo dulcissimoque vitæ & negotiorum condimento, rogare suadet *patrem filiali affectu*, h. e. confidenti & placido, qui singulis diebus prospiciat de necessariis. *Panem*, inquit, *aut victum nostrum* (specie posita pro genere, pro similibus necessariis honestæ vitæ commodis) *idei est vitæ proximum*, quo proxime indigemus, qui iam iam erit sumendus & adhibendus, *da nobis pro hoc die.* Atque hoc modo optima conspiratio inter Salomonem & Christum, quando ille petere iussit, Prov. XXX. 7. *Paupertatem & divitias ne dederis mihi, sed da mihi* חֵלֶב חַיִּים *panem dementis mei* חֵלֶב חַיִּים *ca, quæ necessaria & sufficientia sunt*

sunt vel quibus sim contentus. Magnus enim quæstus pietas & *ἀντ' ἀγαθῶν*, animus sua forte contentus. Vnde ipse servator in hoc ipso capite serio admonet, *μή ἐν περιουσίᾳ τοῦ οὐνοῦ ἀκούσῃς*. Quo primum avaritiæ & inexplebili opum cupiditati consultum, quæ in transversum animos abripit, in quævis præcipitia pertrahit, consilia suggerit periculosa, aliis iniuriosa & damnosa, atque ita suavitatem vitæ vehementer quassat, nec cedere quovis modo veretur. Quo pertinent longæ illæ Christi adhortationes Matth. VI. 19. - 32. ad evitandam immoderatam bonorum externorum cupidinem, & quæ solet esse ansa, pro victu & amictu parandis, intempestivam sollicitudinem. Sed & *iudaismo* potissimum & hoc voti pondus *oppositum*. In quo tantum non prima omnium erat rerum acquirendarum cura, qui panem & carnem immoderate, tristi vultu, animo desperabundo potestulent, neque manna, neque coturnicibus deserti contenti, terræ Cananæ crasse inhiarent, obsonia quæque ac abundantiam appetentes. Hæc Iudæorum ad illecebras carnis proclivium indoles. Quæ externarum rerum cupiditas Iudæos tantopere fascino averat, ut, de Messia apud prophetas quid animadvertentes, illud in opulentiam suam sub Messia detorquerent. Ita ut desiderium adventus Messia Iudæis non esset nisi cupiditatis suæ larva: Nec beatitudo in Messia pene alia desiderata & reapse expectata, quam opum cumulus, deliciæ, voluptates, omnisque rerum affluentia. Virtus e Messia expetita, non nisi prætextus. Hæc cupiditas & ardens opum studium eousque Iudæos dementaverat, ut exuberantes omnes in prophetis de regni Christi dignitate promissiones, in cellas, in gulas & ventres voluptuose pertraherent. Vnde tam crassa & fordida pleborumque in hunc usque diem spes Iudæorum de Messia ævo. Tamen enim sapientiores illorum animadverterint, spiritualiter intelligenda esse tam lauta prophetarum promissa de Messia regno, quod totum sit futurum spirituale & divinum, non corporale, illorum sensu, terræ tamen Canaanis cupiditatem deponere, & summum illius fertilitatem ac opulentiam e mentibus

suis mittere non sustinent. Quae postrema voluptas plerorumque Iudaeorum una & sola spes, qui de sola isthac iactata avita haereditate gloriantur. Quandoquidem igitur Christus hanc spei vanitatem & cupidinis fraudem iam tum in superioribus votis oblique subindicaverat, apertius nunc significaturus, *patriae, patriae, terrae, terrae*, desideria in Messiae regno frustra a Iudaeis quaeri, quin sua illis deamata terra omnibusque penitus bonis esse privandos, tales similesque anxias discipulorum curas, utpote iudaici sanguinis virorum pectoribus summo eximere allaboravit studio. Regnum quippe Dei per totum orbem diffundendum, cuius & gentes essent confortes, sine Canaanis possessione & usu, constitutum erat. Virtus enim non in terra haeret, nec alligata glebae, quae est ratio, quare Christus phariseos toties & tam acerbe damnaverit iniquae mammonae, cui servirent, vel immoderati opum studii, quod ad mentis curam illos non admitteret, quod in huiusce sui praesentis Messiae amorem ferri non concederet, quod regno istoc beato illos exueret, quod in gentis perniciem, templi & reipublicae ruinam eos precipitaret. Hoc itaque in precibus votum, pro solis necessariis ad quotidianum victum argumentis, omnem iudaicam de regno terreno & Canaane aeternum obtinenda & ad summum florem deducenda, de immensa item opulentia illo tempore acquirenda, spem penitus evertit. Summe autem tunc necessarium, tam distincte hoc precari, quando discipuli iudaici generis, adhuc cum optimis, cum potissimis, cum maximis, cum doctoribus, cum sacerdotibus, cum tota natione, in externam opum sub Messiae abundantiam & gloriam inhiabant. Vnde querula Petri illo tempore vox: *Domine, deserui cymbam, retia, domum, resque meas familiares omnes, quid mihi eorum loco?* Quem erigere Christus omni modo conatus, visus tantisper non nihil radicatae spei indulgere, ob discipulorum infirmitatem, sensu iterum sublimiori: *Qui deserit propter me patrem, matrem, centuplum recuperabit.* Praeterquam ergo quod discipuli adversus imminentes persecutiones, spoliaciones, pauperiem, divina erant paterna

pro-

providentia digne animandi, qui rogatus semper singulis diebus necessaria alimenta suppeditaturus esset, Matth. VI. 8. praecipue mature eo deducendi, voto etiam hoc quotidiano docente, ut vanitatem communis iudaicae spei de locuplete haereditate terrena linquerent, necessariis contenti praesentibus: ne illorum studio regni divini cura extingueretur. Ex quo blandum illud & salubre monitum: *Quaerite primum regnum Dei & iustitiam eius: Tunc omnia illa adicientur vobis* Matth. VI. 33. Neque vero aptos dignosque labores Christianis negari, pro necessariis rebus decenter acquirendis, ex Paulo liquet, qui partim sua ipse laboravit manu, ut haberet unde viveret, partim in epistolis laborare & aliquid agere diserte iussit, ut haberet quilibet ex suis, quo viveret, & unde aliis distribueret. Animi ergo quieti & ledati tranquillitas in mediis vitae laboribus & dignis negotiis commendata, anxia nimis terrenarum cura sublata, sine fallaci iudaica spe atque opinione. Excedant itaque iudaei voluptuosi, terrae opulentiam deamantes, christianorum precibus, quibus nimirum docemur ac monemur: *solicitudinem vitae nimiam mittere & sorte quavis modica contentos esse. Quaerere iussi sumus id, ait, GREGORIUS NYSSENSIS, (a) quod satis sit ad naturam corporis conservandam. Panem da, ad Deum dicentes, non luxum, non divitiis, non floridas vestes purpureas, non ornamenta aurea, neque quidquam tale, per quae anima a divina ac potiori cura abstrahitur; sed panem. Desinite, o homines, circa res vanas cupiditatibus diffundi ac distineri: desinite laborum adversus vosmet ipsos causas ac materias accumulare: exiguum est, quod naturae debes: cibum debes carunculae tuae, rem & modicam & paratu facilem, si usum & necessitatem spectes; & CHRYSOSTOMUS: (b) Non enim propter divitias atque delicias, non pretiosae vestis ornamentum, neque pro alio quopiam huiusmodi; sed pro pane quidem quotidiano iussit orari, ut ne pro crastina die simus solliciti. Nolite solliciti esse, ait, in crastinum. Cuius enim diei spatium visurum esse te nescis, quam ob causam illius sollicitudine torquearis. Hinc ora panem crastinum provide, & da nobis hodie.*

O 3

Kell

(a) Orati. IV. in or. dom.

(b) Hom. XX. in c. VI. Matth.

Καὶ ἄΦες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ
ἡμεῖς ἀΦίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν.

§. XII. Iam post petitionem panis ordine subsequitur illa de remittendis peccatis, & cum priore arctissime per particulam καὶ copulatur. *Post subsidium cibi, ait CYPRIANVS, (a) petitur & venia delicti, ut, qui a Deo nascitur, in Deo vivat, nec tantum praesenti & temporali vitae, sed & aeternae consulatur, ad quam venire potest, si peccata donentur. Illic fuit da, gib, hic condona, vergib. Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Paterna in filios affectio & cura, filiorum quoque erga patrem devotio & obsequiositas ex superioribus elucet. Nam, inquit, CHRYSOSTOMVS, (b) & sanctificari per nos nomen Dei, perfecta est conversationis integritas. Et voluntatem eius fieri, id ipsum rursus amplectitur: & posse Deum patrem vocare, immaculatae conversationis indicium est. Vti vero de victu necessario a patre filiis prospici circa res externas proxime quaesitum, ita porro & alterum caput, externorum in vita factorum, adversitatum, damnorum ac infortuniorum, a patre clementissime gubernari rogatur. Peccatorum ingenua agnitio, tum praeteritorum ante conversionem, tum in ipso fidei cursu ex imbecillitate, pars non postrema rei christianae. Peccata vero etiam in filiis corrigi & debita, ubi opus, poena affici, iustum: Nisi ex gratia pater remittat misericors & castigationes mitiget h. e. damna & pericula, pro iusta correctione incidentia, minuatur aut levet. Magnum in his christiani negotii momentum, gratia patris in Christo, & peccatorum adeoque ultionis benigna remissio. Vidisti, ait, CHRYSOSTOMVS, l. c. certe cumulum misericordiae, post tantorum quippe abolitionem malorum, & ineffabilem gratiae largitatem, iterum peccantibus dignatur ignoscere. Hoc autem votum in precibus religioni iudaicae ex adverso positum. Quantumvis enim Iudaei frequentes essent in precibus fundendis pro peccatis remittendis, uti adhuc talia vota cumulant, attamen, cum in sacrificiis remissionem*

(a) de or. dom. p. 314. Hom. XX. in Matth. c. VI.

sionem quærent, & illo factò corporeque cremato Deum opi-
 narentur propitiatum, Christus in Dei regno aut christianismo
 illum modum negat, adeoque sine sacrificiis, sine istis per bruta
 corpora expiationibus, sola & mera in Christo patris gratia pec-
 cata remitti indicat. Ut modus ad remissionem peccatorum aut
 poenæ perveniendi in iudaismo & christianismo sit distinctissi-
 mus. Ibi illa quaesita in corporum crematorum cinere, hic in
 sola patris per Christum gratia. *Patris* namque vox, in orati-
 nis principio suam per omnes orationis partes vim atque effica-
 ciam exerit, teste CHRYSOSTOMO l. c. *vides nempe, quemadmodum*
dum continuo animam auditoris erexit, quem totius omnino beneficii inter
principia ista commemuit, patrem quippe dicendo, & veniam peccatorum,
& poenarum interitum, & iustificationem, & sanctificationem, & libera-
tionem, & filiorum adoptionem, & haereditatem cum unigenito copulatam,
& sancti Spiritus dona largissima, uno sermone signavit. Impossibile est
enim, Deum patrem vocari ab eo, qui non omnia haec bona fuerit consecu-
tus. Duplici igitur modo eorum animos accendit, ex eius scilicet, quem
patrem nominant, divinitate, & magnitudine beneficiorum, quibus ipso
donante possuntur. Quod invictum testimonium, ut omnia sint
alia, & fiant aliter in christianismo, quam iudaismo. Huc faciunt
 suaves frequentes prophetarum promissiones: Deum tunc, Mes-
 siae aetate, peccata sponte gratiosissime dimissurum, deleturum,
 fideles ab omnibus maculis abluturum, pro blandissimo patris
 in filios affectu, citra sacrificiorum pecorumque cruorem. Idem
 omnium etiam epistolarum Apostolicarum argumentum, quod
 sine iudaicis sacrificiis, sine similibus legis operibus, ex mera gra-
 tia paterna peccata remittantur. Cum iudæi patrem nescirent,
 nec agnoscerent: sed servi in sacrificiis maëtandis & laniandis la-
 borarent seque fatigarent, *christiana indoles, patris conscia, in sola*
patris gratiosa in filios affectuione, peccatorum quærere & inven-
ire remissionem docta. Cui quaesita ex paterna gratia peccato-
 rum remissioni iungit Christus ore & pectore christianorum, sin-
 ceram contestationem, pro sua in patrem devotione, de simili
 gratia in fratres delinquentes aliosve quoscunque, qui læse-
 rint.

rint.

rint. Quod iterum plane peculiare & arduum totius christianismi argumentum, a iudaismi genio toto coelo diversum: Ad exemplum puta coelestis paternae gratiae, benigne peccata remittentis, aliis fratribus non solum, sed & hostibus ex mera commiseratione offensas remittere, non ulcisci, sed condonare: Quod iudaismi moribus inimicum, carissimum christianorum decus. Quam plane contrariam iudaismi & in hoc capite & christianismi indolem ipse Christus admodum luculenter descripsit Matth. V. 43. 48. cap. VI. 14. 15. Quae generalis mutuae inter homines ipsosque christianos benevolentiae & humanitatis in condonandis offensis, effigies opposita praecipue inimicissimo Iudaeorum affectui adversus gentes & externos quoscunque. Immortale quippe apud Iudaeos odium in gentes. Qui odiosus in Iudaeis adversus gentes animus, amoris, officiorum, tranquillitatis, lethale venenum. Huic maxime inmedicabili iudaico morbo opponit Christus medelam, pro uniendis & in eandem ecclesiam congregandis Iudaeis non magis ac gentilibus. Quod etsi discipuli tunc ignorarent, Christus tamen oblique subindicavit, quippe quod deinde satis essent cognituri. Quemadmodum & sanctificatio nominis paterni iam tum comprehendebat gentium vocationem ad Christi regnum in uno cum Iudaeis corpore, pro eodem paterno Dei in Iudaeos & gentes affectu, quanquam initio discipuli id non caperent aut penetrarent. Plurima namque, quae Christus dixit, a discipulis non intellecta statim exacte, sed postmodum cognita. Opus ergo vidit Christus in precibus animos discipulorum mature componere ad talem in alios, ipsosque creditos hostes, externos populos, affectum benignum, qui pari cum Iudaeis sint habendi iure. *Contra omnia adeo iudaica principia*, certe praxin obtestari iussit Christus coram Deo in precibus talem affectum, in eos, qui laeserunt, qualem gerat Deus in peccatores, quibus offensas gratiose remittat & condonet. *Vindictae* namque cupido cum naturae videatur dulcis, sed societati exitialis, hanc exemplo Dei nescire docuit Christus, pro regula doctrinae coelestis. Vti vero per *inimicos* non solum tolerandos, sed & amandos, Matth. V. 44. seqq. Christus

Christus teste *omnes intellexit gentes, exteras, quas Iudaei averſaverunt*, quibus dira ſemper imprecarentur, quas putarent & iactarent per Meſſiam funditus iri deletum, quas e contrario chriſtiani amare deberent & officiis proſequi: ita & *ipſammet deſignat gentem iudaicam, Chriſto & apoſtolis adverſiſſimam*. In his igitur diris perſecutionibus, convitiis, iniuriis, carceribus, ſuſtigationibus, caedibus, quibus Iudaei, regni Chriſti hoſtes, diſcipulos indelinerenter erant oneraturi & miſerrime afflicтури, animos bonorum in Chriſti regno ſincera hac conſteſtatione praemuniavit, ne vindictam pararent, ne par pari referrent, ſed pro offenſis amicitiae & humanitatis officia rependerent, pro regni Chriſti dignitate, & digna paterni affectus aeſtimatione, atque aemulatione. Quod ſalutare monitum eo magis diſcipulis inculcandum, quo minus animum, ad odium, ad vindictam privatam pronom & proclivem exuerant, Petro hoc exemplo ſuo comprobante. Ante aetatem quidem Chriſti Hillel praeceteris ſcintillulas huius in exteros ipſosque hoſtes humanitatis ex prophetarum blandiſſimis de regno Chriſti effigiebus animadverſit, qui omnem erga gentes quacunque humanitatem, & officiorum praestandorum promptitudinem ſuaſit: Eandem quoque facilitatem ac benevolum chriſtianis ſeu alienigenis gentibus & creaturis affectura exhibendum valdopere populo ſuo commendavit iudaeus R. ABRAHAM IAGEL monteſſicenſis italus in catechiſmo, ſeu nervoſo iudaicae doctrinae compendio, a celeberrimo viro HERMANNO VON DER ZARDT/ quod mirificum & ſingulare eius in illuſtranda antiquitate reve iudaica ſtudium & opera, latine edito MDCCIV. Aſt ex flagranti illo amoris chriſtiani igne in inimicos aut laedentes, vel param vel nihil ſenſerit, cum ceteris Iudaeis frigidiffimis, non hominibus ſed ſerpentibus, quos Iohannes vipers diceret, quae non niſi mordere & venenum fundere noſſent, quod Chriſtus & apoſtoli cum tota eccleſia chriſtiana a ſceleſtis Iudaeis experti ſunt. Suboluit omnino aliquibus ante Chriſtum non nihil fragrantis odoris ex deſiderato Chriſti regno, per prophe-

tarum oracula: verum, nec multi, nec plane ac satis integre gratiae divinae opulentiam agnoscere potuerunt, quae in ipso deum Christo patefacta. Quare Paulus in omnibus ferme epistolis ad coelum extollit paternae gratiae divitias antea incognitas, divino consilio prioribus seculis reatas & absconditas, in evangelio iam tandem patefactas: Quae gratia tam esset ipso facto deprehensa exuberans, ut erga gentes aequae ac Iudaeos, erga totum mundum, par gratia paterna se exerceret, in omnium salutem. In quem reconditum olim, dein patefactum, Pauli praefertim ministerio illustratum, immensum gratiae paternae thesaurum, quo fruuntur & gentes, a Iudaeis quondam alienae, iudaeis exosae, mellitissima tendit tota prope ad Ephesios epistola. Quam gentium & Iudaeorum in unum Christi corpus consociationem, aeternam amoris vinculo combinationem, in offensarum remissione, prophetis suaviter pingere placuit, ut Ef. II. 3. 4. 5. falcium & ensium hastarumque bellicarum contusione: ut coniunctim gentes cum Iudaeis sine simultate, sine bello, sine certamine, ad Deum adorandum confluant. Quam autem difficile fuerit in ipsis discipulis & apostolis, hanc erga gentes, Iudaeis plane exosas, induere benevolentiam, ut ad communionem regni illas adsciscerent, vel acta docent, & inter ipsos apostolos in publica synodo dimicationes. Remittere adeo adversariis, & beneficiis sibi eos devincire magnae cum esset molis, discipulorum & quorumcumque pectora in precibus sedulo & amice praemunire oportuit. Axioma vero doctrinale hinc capimus: *Perfectissimum in hac vita dari nullum, & omnes peccatis esse obnoxios: Quam necessarie autem, inquit CYPRIANVS l. c. quam providenter & salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut, dum indulgentia a Deo petitur, conscientiae suae animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, cum innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur, peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare: Si denique Iohannes in epistola sua monet, dicens: si dixerimus, quia peccatum non habemus; nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus*

scriimus peccata nostra, fidelis & iustus est dominus, qui nobis peccata dimittat. In epistola sua utrumque complexus est, quod & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo & fidelem dixit dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suae reservantem. Quia qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paternam misericordiam promisit & veniam secururam. Idem AVGVSTINVS: (a) *Quis enim hic vivit in carne & non habet debita? Quis est homo sic vivens, ut ei non sit ista oratio necessaria? Inflare se potest, iustificare non potest. Considerate, fratres mei, hoc dominus Iesus Christus orare docuit discipulos suos, arietes nostros. Si ergo pro peccatis suis dimittendis arietes orant, agni quid debent facere de quibus dictum est offerte Domino filios arietum.*

Καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν.

§. XIII. Quando per gratiam paternam citra sacrificia peccata remitti rogatum, & par gratia inimicis promissa, convictatoribus, persecutoribus, tacite simul iam petitum, ut id adversis quibuscunque pater coelestis ferat opem. Illud vero, quoad praecipuum adversitatis genus, praesenti voto distinctius exprimitur. Adiecit, inquit TERTVLLIANVS, (b) ad plenitudinem tam expeditae orationis, ut non de remittendis tantum, sed etiam de avertendis in totum delictis supplicaremus. Πειράζειν, quod pertentare viresque alterius est periclitari, proprio usu est, verbis vel captiosis vel minacibus, mellitis aut mordacibus, invadere, laceffere, vel in contemptum, vel ad ledendum, vel ad vitae & fortunae discrimen parandum, Sophistarum ac deceptorum, paucis, pravorum, callidorum ac malitiosorum hominum, doctorum vel oratorum artes indignantur, quibus exercentur Christus & apostoli, ceterique christiani, recens ex Iudaeis & gentibus conversi. Πειρασμός, insidiosae verborum dimicationes, venenatae contentiones, vel ad seducendum, vel decipiendum & perdendum, sive falsis imputationibus, sive fictis persuasionibus, sive dolosis quaestionibus,

P 2

sive

(a) Hom, XLII. p. m. 115.

(b) de oratione p. m. 129.

sive iniuriis & contumeliis, atque atrocibus minis, sanguinem spirantibus. Ducere *eis* *περπασόν* in insidiosas & captiosas contentiones, est, morali usu, *permittere*, ut talia insidiantium tela vibrentur, falsae accusationes, dolosae persuasiones, argutae seductiones apparentur, quibus agitari & misere iactari contingat. Lubet itaque Christus rogare patrem, qui tales a discipulis & christianis *περπασόν* vellicationes, accusationes, sophisticas & virulentas exagitationes, quibus vel ad apostasiam pellantur, vel in discrimen vitae ducantur. Quod votum, *iudaeis* virulentissimis regni Christi roforibus & hostibus immortalibus, illa aetate Christo & apostolis exitium intentantibus, *oppositum* phariseorum puta, aliorumque iudaicae legis sectatorum, pseudoapostolorum quoque & pseudodoctorum astutis, captiosis & fraudulentis machinis. De quorum omnium iudaici generis iuratorum Christi hostium seductionibus, pellectionibus, sophisticationibus, minis & terriculamentis, deceptionibus convitiis, delationibus, accusationibus, omnes *evangelistae* omniumque *apostolorum* epistolae, tam operose agunt, ut magna scriptorum Novi Test. pars talibus iudaeorum artibus & in christianos machini detegendis ac refellendis sit occupata. Doctrinale hinc capimus tale: Nosmet ipsis a malo & tentatione servare *haud* valere, sed infirmitatem nostram esse maximam humilitatemque proinde a nobis exhibendam. Quando, sicut CYPRIANVS I. c. autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis, aut passionis, gloriam suam ducat, cum dominus ipse humilitatem docens dixerit: vigilate & orate, ne veniatis in tentationem: spiritus quidem promissus est, caro autem infirma: ut dum praecedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quicquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate praestetur. Et CHRYSOSTOMVS I. c. Hic iam nostrae nos prof. Elo humilitatis admonuit, ut scilicet reprimeret indomitae mentis tumorem. Docet enim non quidem nos recusare certamina, nec tamen in ea audacius insilire: hoc enim modo, & nostra incipit clarior esse vi-

Etoria,

Floria, & diaboli infelicioꝝ pugna ridebitur. Nam provocatos siquidem in medium viriliter stare oportet, ac fortiter: non provocatos vero quiescere & tempus expectare certaminis, ut nos & vacuos ostendamus amore gloriae, & plenos virtutis constantiae.

Ἀλλὰ ῥῶσαι ἡμᾶς ἀπὸ τῆς πονηρῆς.

§. XIV. Iam ultima succedit petitio, ab antecedenti haud dissonans & cohaerentia haecenus plana est. Vnde nonnulli existimant, hanc peculiarem & a priori diversam non esse petitionem. Adversativae vero particulae, quae hic additur, haec ratio & vis est, quod duas clausulas in unam coniungat sententiam, ut, quod in praecedente clausula negative deprecamur, (ne nos inducas) huic contrarium in adversativa clausula affirmative petamus. Hanc vero latius patere & pulsa sub se complecti, in apico est. Christus enim, qui rogare iusserat patrem, ne insidiosae Iudaeorum seductiones & terribiles exagitationes nimium cumularentur, aut ultra vires exasperarentur, postremo subiungit desiderium *ex malitioso hoc mundo evadendi*. Corruptissimum perditissimumque hominum statum in mundo, homines flagitiosissimos & nequissimos κόσμος mundi nomine venire liquet (a) Paulus vero Gal. I. 4. Christum ait, *ideo semet ipsum dedisse pro peccatis nostris ὅπως ἐξέλθῃαι ἡμᾶς ἐκ τοῦ ἑσθῶτος αἰῶνος πονηροῦ, ut nos liberaret ex praesenti seculo malo, secundum voluntatem Dei & patris nostri*. Eodem modo & Christus omni sollicitudine se cavisse dicit, ut discipuli liberarentur, aut servarentur ἐκ τοῦ κόσμου τοῦ πονηροῦ Ioh. XV. 18 19. *Si mundus vos odit, scitote, quod me priusquam vos odio habuerit. Si ex mundo essetis, mundus quod suum est, diligeret. Quia vero ex mundo non estis sed ego elegi vos ex mundo, propter hoc odit vos mundus. Ioh. XVII 9. seqq. Ego pro discipulis meis rogo: Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt. — Ego non sum amplius in mundo, sed isti sunt in mundo, & ego ad te vado. Sancte pater, τῆρας αὐτῶν σὺ σὺν ἡμῖν ἔσθαι, quos dedisti mihi, ut sine*

P 3

NUNTIUM,

(a) Confer, Petri Rayanelli bibliotheca sacra part. II, p. III, 119.

unum, quemadmodum nos unum sumus. Quando eram cum iis in mundo, ἐγὼ ἐτίθει αὐτοὺς servabam eos per nomen tuum, Quos dedisti mihi custodi, & nemo ex iis perit, nisi filius ille perditionis, ut scriptura impleatur. Nunc autem ad te vado. Et haec loquor ἐν τῷ κόσμῳ, in mundo, ut gaudium meum habeant plenum in semet ipsis. Ego tradidi eis sermonem istum, καὶ ὁ κόσμος ἐμίσησεν αὐτοὺς, sed mundus eos odio habet, ὅτι ἐκ ἐσθῆ ἐκ τῷ κόσμῳ, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum ἐκ τῷ κόσμῳ, ex mundo. Non rogo ἵνα ἀφῆς αὐτοὺς ἐκ τῷ κόσμῳ, ut tollas eos de mundo, sed ἵνα ἴσῃσιν αὐτοὺς ἐκ τῷ πονηρῷ, ut serves, aut liberes illos a malo illo, mundo isto. Ek τῷ κόσμῳ ἐκ ἐσθῆ ex mundo non sunt, καὶ δὲ ἐγὼ ἐκ τῷ κόσμῳ ἐκ ἐσθῆ, sicut ego non sum de mundo. Quod Paulus dicit, Christum semet dedisse, ut liberaret nos ἐκ τῷ ἐνέκατος αἰῶνος πονηρῷ ex mundo hoc malo: Quod & Christus dicit de suis discipulis, illos fuisse servatos aut liberatos ἐκ τῷ κόσμῳ, eosque esse porro servandos ἐκ τῷ πονηρῷ ex mundo, ex malo mundo: Idem in oratione dominica ipsos etiam iubet orare discipulos, ut nempe liberentur a malo illo, a mundo, immani illa corruptione, malitia & improbitate mundi, in quo non nisi satanae & diaboli regnum, a quibus mundus agatur ac rapiatur. Quoniam autem Christus & apostoli inter Iudaeos, pro suo rerum statu, non potestrema mundi vaferrimi parte degebant, generali illo mundi iudicio speciatim praesentem sceleratissimam iudaicam gentem, Deo & hominibus omnibus adversam, ignominioso iusto titulo indigitabant, de quibus pronunciatet, ἐμίσησεν ὁ κόσμος ὁδῶν οδῶν habuit & habet me & discipulos mundus ille. Iudaei in Simeonis oraculo Luc. II. 34. 35. terribili elogio audiunt ἀντιλέγοντες τῷ Χριστῷ contradicentes Christo. Iudaei Iohannes baptistae effato, γεντήματα ἐχιδνῶν, genus viperinum, Matth. III. 7. 12. Luc. III. 7. 17. Iudaei ipsius Christi sententia, Matth. V. ἀκαθαροὶ τριβόλοι, ὀφθαλμοὶ ἄνοιοντες, spinac, cardui, maledici, persecutores Iudaei λύκοι ἀρπαγῆς, lupi rapaces Matth. X. 14. 23. Iudaei βίας αὐ ἀσπάζοντες, violenti, regnum Christi diripientes Matth. II. 12. 24. Iudaei ὀπίσκειται, ὧν ἡ καρδία ἡ πόρρω ἀπέχει ἀπὸ τῷ Χριστῷ hypocritae, quorum animus a Christo alienissimus Matth. XV. 7. 13. Iudaei ἐνάστιον

πᾶσι

πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ θεῶν μὴ ἀγνοοῦντες omnibus hominibus aduersi & Deo non placentes. Iudaei πορνῆοι, γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλῆς, mali, gens mala & adultera Matth. XII. 34. Quales Iudaeorum characteres, ob illorum odium in Deum & Christum horrendi, apud Evangelistas & Apostolos ingenti obveniunt numero: Quod atrociora in orbe non sunt commissa, quam in Iudaeis, in Christum & evangelii doctrinam iniuriis immani furore percitis, Matth. XXIII. 13, seqq. Qui ergo alias a Christo dicti πορνῆοι, γενεὰ πονηρὰ mali, gens mala, illi ob incorrigibilem illam in regno Christi extinguendo malitiam, in oratione etiam appellantur ὁ πονηρὸς κόσμος ille populus-ve malus. Ab extrema horum, qui legem iactarent, malitia, ab horundem seductione & ad iudaismum apostasia, quam vel blanditiis & sophismatibus vel minis & convitiis vel iudicium flagris ac vulneribus extorquerent, tutos & immunes se praestari, rogare iubet Christus, ad constantiam fidei tuendam. Quod idem apostoli in omnibus epistolis a Deo multis precibus efflagitant. Haec cum scopo, tempore & occasione optime conspirat paraphrasis; verum tamen illis facillime quoque subscribo, qui per πορνῆον intelligere amant malum, tam culpae quam poenae, & quicquid est damnorum, periculorum, adversitatum, quae vel animam, vel corpus, vel famam & fortunas, sive iam onerant, sive imminet & impendent. (a) Vnde Rabbi Iudah, memorante LIGHTFOOT, precari tuit solitus: (b) sit beneplacitum tuum, ut liberes nos ab imudentibus & impudentia, ab homine malo & ab occursumalo, ab effectu malo, a socio malo, a vicino malo, a satana destructore, a iudicio duro & ab adversario duro. Ab his omnibus & multis malorum generibus liberari, tam private quam positive petimus, graeci vero interpretes per verbum *πίσμα* reddiderunt illa hebraica לָנֶצֶחַ, quae significant defendere, tueri, conservare contra vim hostium, absolvere, eripere, eruere & liberare de manu inimicorum. Sic vocabulum לָנֶצֶחַ frequenter usurpatur pro redimere, iure videlicet consanguinitatis, aut communis naturae humanae,

(a) Confer, Mart. Chemnit. Harm. Evang. p. m, 488.
Talmud, in c, VI, Matth. p. m. 301.

(b) Hof. Hebr. &

nae, interposito sanguinis proprio pretio: Ita enim ferme in N. T. occurrit. Sed i Thef. l. v. 10. significatio videtur simul comprehendere Iesum *τὸν πρόμωρον*, qui & eripuit nos, & qui custodit, servat nos ab ira ventura, sicut Rom. V. v. 9. pro eo usurpatur verbum *σώζειται*. Per vitam enim Christi servabimur ab ira & Ioh. 17. Christus respiciens ad petitionem utitur verbo *τηρώσω*, ut supra dictum. Recte ergo utrumque intelligimus & ut custodiamur a futuro, & ut eripiamur ex praesenti malo. Horum ergo sententia iubemur petere liberari a malo spirituali, quod gentium magister ostendit Ephes. VI. v. 12. secundo a corporalibus malis ac miseris, quatenus saluti noceant: tertio a malo praesentis & futurae vitae: quarto a temporalibus miseris sive malis. Haec enim sunt, quae nobis obveniunt in bonis fortunae & famae. Quae malorum genera coaccivans BERNHARDVS dicit: *quadriformis est pressura nostra: corruptibilis carnis angustiae, quae sunt dolores mortis temporalium pressurarum molestiae, quae sunt torrentes iniquitatis, occulti hostis latentes insidiae, quae sunt dolores inferni: deceptorum facies mundanae gloriae, quae sunt laquei mortis.* Sic tot malorum angustiis pressi, nostri erit officii: (1) *toties ad Deum liberatorem precibus confugere, quoties mali periculum imminere putamus: idemque hic nobis dicendum; quod olim Iosaphato regi 2. Chr. XX. 12. Non est in nobis vis obsistendi multitudini isti magnae invadenti nos, & nos nescimus, quid facturi simus, sed in te, domine, desixi sunt oculi nostri.* (2) *liberatio a malo quotidie a christianis meditanda & provehenda. Qui vult, ait AUGUSTINVS, (a) liberari a malo, testatur, quia in malo est. Ideo dicit apostolum, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Sed quis est, qui vult vitam & diligit videre dies bonos, quando omnis homo in hac carne non habet nisi dies malos? Quis non vult? Fac quod sequitur, cohibe linguam tuam a malo, & labia tua, ne loquantur dolum. Declina a malo & fac bonum, inquirere pacem & sequere eam, & caruisti diebus malis, & impletur quod orasti, libera nos a malo.*

OVI

(a) Hom. XLII. f. 116.

Ὅπ σὲ ἐστὶν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ
δόξα εἰς τὲς αἰῶνας. Ἀμήν.

§. XV. Absoluta parte interna superest epilogus in *δοξολογίᾳ* desinens. Epilogus vero hunc non esse authenticum, sed a graecis fuisse additum textuique insertum, pro viribus contendunt ac defendunt pontificii, ideo in sua versione latina non legunt, nec orationem hanc precantes ceteris adiciunt; sed opiniones horum erroneas dudum refellit H. WALTHER (a) & hic quadrat monitum LAURENTII VALLAE: *Graeco uerum nihil esse additum: sed tantum e latino detractum.* Verba namque ista non modo fidei sunt analogia & τοῖς θεοῖς λόγους συνῶδα, sed insuper totidem fere syllabis alibi in scriptura διαρρηθῆναι exarata occurrunt. Chr. XXX. II. *Tua est, domine, magnificencia, & potentia & gloria* Ex Davidis ergo & Prophetarum ore adscita quidem a Iudaeis in precibus *δοξολογία*, sed sensu suis rebus accommodato. Christus vero pro *regni paterni* indole, per superiora vota luculenter descripta, *regnum* hoc patri coelesti vindicatum, aliud plane intelligit ac Iudaei sibi persuadebant & adhuc persuadent. Unde pronomen *se tuum, tuum*, ad orationis respicit exordium, cuius vis totam orationem adeoque omnem rem christianam permeat. *Patris* etiam ista, desiderata omnia dandi, suosque tuendi ac liberandi *potentia*: Patris illa regni & beatitudinis *gloria*, pro regni huius paterni *aeternitate*. Quae omnia iudaico venditato regno negata, soli regno Christi hic vindicata, ut christianos nihil hic cum Iudaeis commercii habere demonstraretur. Neque asseverandi testera *Amen* ἸΩΝ, prophetis ignota. Quam & Iudaei inde mutuati, etsi effectu frustraneo, quibus nec *pater* esset, nec *regnum patris*, neque adeo *ius asseverandi* sibi cum gaudio vindicandi. Quod unice christianorum, qui *patrem* norint, *eius filii dilecti*.

§. XVI. Quantopere itaque distent ac distinguantur iudaismus ac christianismus, tamen uterque vetus testamentum amplectatur,


(a) Harm. biblica in c. VI, Matth. p. m. 505.

ctatur, Christus & Moyses orantes, tamen uterque iisdem pas-
 sim verbis utatur, in apico est. Haec namque, quibus contra-
 riam christianismi ac iudaismi effigiem depingere libuit, ut
 pauca, ita clara, ut puto, satis sunt. Plura si legere placet, videre
 est PAVLI EPISCOP. BVRGENSIS scrutinium scripturarum,
 nobile profecto opus. Quanquam enim alicubi nonnihil in-
 dulgere videatur seculi sui, papatui servientis, stylo; quoad
 rem ipsam profecto praeclare de Iudaeorum ac christianorum
 rebus e diametro oppositis differit. Tantoque rectius iudicare
 de his rebus sustinuit, quanto rerum iudaicarum fuit peritior.
 Sanguine enim Iudaeus fuit SALOMO LEVITA, a conversione
 ob doctrinam & animi integritatem Episcopus & Princeps factus,
 circa tempora consilii basilienfis, medio seculo XV. Hic au-
 tem XVI. operis sui constituit capitula, ac in secundo & tertio
 praecipue annititur iudaismum a christianismo secernere. *Quid*
quid, inquit, praecessit, erit Babel i. e. vanitas, gloria omnis, lex, quam
homo addiscit in hoc seculo, Babel i. e. vanitas est, respectu legis Messiae.
Habes ergo ex istis manifeste duo: unum est, quod lex Messiae est alia a lege
Mosaica. Non enim compararentur istae leges ad invicem, si essent tantum una
lex. Secundum est, quod lex Messiae iam excellentior est lege Mosaica, quod
ipsa lex mosaica vanitas est, respectu legis Messiae &c. Nec primus hoc ob-
 servavit Episcopus Bvrgensis, sed ad aemulationem EVSEBII PAM-
 PHILI, Caesareae Palaestinae EPISCOP, argumentum de iudaismo
 ac christianismo diverso illustravit. Hic namque in praeclaro ope-
 re de demonstratione evangelica X. libris comprehensa, fusius &
 sole clarius detegit ac distinguit iudaismum a christianismo, atque
 adeo memoratu digna sunt eius verba lib. I, cap. 7. p. m. 28. sub
 finem, ubi vaticinio Moysi Deut. XII. v. 15. seqq. exposito, ita collig-
 git: *Nos autem, qui illum suscepimus, quem Moses & reliqui prophetae vni-*
ciaverunt, & ei parere etiam votis expetimus: edictum Moysi complevisse
inventimur, quo edixit illum audiendum esse, omnemque animam, quae
illum non audiret, delendam esse de genere suo. Quae autem sunt, quae
propheta ille instituerit, quibus obedire necesse sit, paulo ante audivimus
omni

omni videlicet sapientia referia, & perfecta & coelestia documenta. Quae quidem neque tabulis lapideis, ut Moyses, neque avaramento & chartis commendari voluit, sed purgatis animis suorum & intelligentem naturam obtinentibus: in quibus leges novi testamenti describens re ipsa complevit Hieremias prophetiam, quae ait: *Instituam testamentum novum, non instar testamenti, quod posui patribus eorum: quoniam hoc testamentum, quod ponam domui Israel, dans leges meas in interiorum sensum eorum, & in corde eorum scribam eas, & ero illorum Deus, & ipsi erunt tibi populus* cap. VIII. pag. 29. Ceterum ille (Moses) quidem in tabulis inanimatis, hic (Christus) autem in mentibus vita praeditis, perfecta novi testamenti documenta descripsit. Hunc infecutus PAVLVS EPISCOPVS stylo paululum immutato eadem profert l. c. cap. 2. *Quod autem, inquit, Deus promisi dare populo legem novam, aliam a lege Moesaica, clare habetur Ierem. XXVI. ubi sic habetur: Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti. Pactum, quod irritum fecerunt & ego dominatus sum eis, eo quod dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit dominus, dabo legem meam in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam & ero eis in Deum. Ex quo autem duo expresse habentur. Vnum est, quod Deus daturus erat legem novam, aliam ab illa, quam dederat patribus eorum, cum educeret eos de Aegypto. Aliud est, quod haec lex nova alio modo novo erat danda, quam antiqua. Nam erat scribenda in cordibus, sicut antiqua fuit scripta in tabulis lapideis, ad denotandum firmitatem seu stabilitatem secundae legis scilicet novae, & infirmitatem seu stabilitatem antiquae, de qua dixerat, pactum, quod irritum fecerunt -- Vnde manifestum est, quod in hoc loco, ubi Ieremias in persona Dei dicit, feriam verith novum, & postea subdit de hoc verith, dabo legem meam in visceribus eorum & in cordibus eorum scribam eam, quod per hoc verith novum lex nova intelligatur, quod fuit intentum: Vnde & magistri tui seu doctores talmudici manifeste dicunt, quod lex danda per Messiam debet esse excellentior, quam lex mosaica.*

§. XVII. Ordine nunc ex voto & promissis annectenda sectio polemica ac in ista variorum Socinianorum, Chiliastrarum, Perfectionistarum, Böhmistarum aliorumque eiusdem farinae hominum circa orationem dominicam nugae atque commenta examinanda & refellenda essent. Cum autem citra spem & opinionem prolixiores nobis esse contigerit, nec tractatum, sed dissertationem, quae intra legitimos se continere debeat cancellos, conscribere animus fuerit, abrumpo, ne lectoris patientia abuti eique taedium provehere videar, reliqua in aliud, quod vacabit tempus differendo. Ceterum pro hoc exiguo labore superato, Deo ter opt. max. decentes ago gratias, ipsum animitus imploro, ut spiritum precum nobis demittat, qui nos in omnem veritatem ducat, in ea servet, verbum ipsius veritas est, sit eius nomini laus & gloria sine.

F I N E.



94 A 7376

ULB Halle
003 263 55X

3





Reho

VO 17

Mi. 50.







2.17 19

ORATIO DOMINICA

HISTORICE ET DOGMATICE PROPOSITA
PRAECIPVE AVTEM
IVDAISMO OPPOSITA

QVAM
D. A. G.

SVB PRAESIDIO
IO. ANDREAE SCHMIDI
ABBATIS MARIAEVALLENSIS
SS. TH. D. EIVSDEMO. ET ANTIQ. SS. P. P. O.
ORDINIS SVI SENIORIS
PATRONI ET HOSPITIS AETATEM COLENDI
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA
RESPONDENDO EXHIBET
AVCTOR
FR. IO. SCHRADER
WVNSTORPIO-HANNOVERANVS



HELMSTADII,
STANNO HAMMIANO. 1723.